



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio II. De Quidditate Relationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

autem temporaneæ seu Prædicamentales; non sunt necessariæ, nisi ex suppositione existentia.

OBJICITUR. V. Creatura etiam quoad esse possibile considerata, adhuc non est in eo gradu necessitatis, in quo est DEUS; semper enim ejus necessitas, erit participata. Ergo ad Creaturam etiam in tali statu necessitatis consideratam, admitti non debet Relatio Realis, quia DEUS esset, etiam si omnis Creatura repugnaret.

RESPONDETUR. Cum necessitas prædicatorum DEI involvat necessitatem existendi, necessitatem item, ut eam, etiam possibilis Creatura ad existendum indigeat, confurgit exinde major necessitas divina; sed inde non sequitur DEUM non posse referri ad aliquid, secundario necessarium. Negatur item repugnante Creatura, fore DEUM, de quo alibi.

INSTABIS. Necessarium non coexistit ad suum esse, contingens. Ergo neque magis necessarium, quod est DEUS; pendet in suo esse, à minus necessario, aliàs si concedatur magis necessarium posse deficere, minus necessario deficiente, & è contra, jam illa duo essent æqualis necessitatis.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum; quia à necessario licet non exigatur contingens, tanquam pars compositiva, tanquam identificabile, tanquam causa, exigitur tamen tanquam terminus & effectus; ut, cum anima quæ est substantialis, exigit actiones, & operationes suas, tanquam terminum & effectum. Pendebitque etiam DEUS à minus necessario, sed pendentia impropria, id est, tanquam à termino; & licet deficiente possibilitate deficiat DEUS, non sequitur æque esse necessariam Creaturam, ac DEUM; quia deficere est malum, adeoque potest haberi ex singulis defectibus, sed esse necessarium est bonum, adeoque ex integra causa; quæ integra causa non competit possibilitati; quia possibilitas Creaturæ, non dicit necessitatem existentia sed dicit imbibitam dependentiam à DEO, ejusque indigentiam.

QVÆSTIO II. De Quidditate Relationis.

Displicuit Aristoteli veterum definitio, quam relativis dabant, eratque talis: Relativa sunt, quæcunque & ipsa quæ sunt alia, esse dicuntur, & quomodo libet aliter ad alterum. Rejecit illam, quia convenit etiam relationibus Rationis, ut patet ex termino, Quomodolibet, & ex termino, Dicitur. Adfert propriam Aristoteles de qua sit.

Quid Definitivè Relatio?

DICENDUM EST. *Benè definitivè Relativa.* Relativa sunt quorum hoc ipsum est esse, ad aliud se habere. ubi ut vides relativa in concreto definiuntur. Relatio in abstracto definitur à Suar. Est accidens reale, cujus totum esse, est ad aliud se habere. Dicitur relatio accidens Reale, non quia est quid realiter distinctum à subiecto, sed quia est ratio extrinseccæ, nemine cogitante conveniens subiecto. Cæterum quia relationes transcendentes non sunt Accidentia, utpote secundò essentiales, hinc ut ratio communis definitiva Relationis tradatur, sic poterit formari cum Hurt. Relatio est formalitas, cujus totum esse, est ad aliud se habere.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis.

PROBATUR II. Convenit omni, soli, & semper, proceditque per primam in hoc genere.

PROBATUR III. Tota hæc definitio duo complectitur: quod Relationis Esse est ad aliud, & quod totum illius esse, sit ad aliud. Quoad primam partem probatur: quia si Relationis esse, non esset ad aliud se habere, & esset relatio, ut supponitur, & non esset Relatio; quia cum nihil referatur ad seipsum, non referretur ad aliud, ut dicis, & tamen relatio referre debet, cum sit ipsa referentia, seu ratio referendi. Secunda pars probatur, quia si non totum esse relationis esset ad aliud se habere, nonnisi pars aliqua referret se ad aliud, alia non referret hæc autem, hoc ipso, quia se non referret, non esset, ex probatis immediate, de linea Relationis.

OBJICITUR I. Relatio definiri in communi non potest. Ergo prædicta definitio est mala. Antecedens probatur: quia definiretur, per esse ad aliud; illud aliud vel esset relativum, vel absolutum, si relativum, ergo relativum referretur ad seipsum, cum referatur ad relativum, nihil autem verè & realiter referretur ad seipsum; si autem illud aliud est quid absolutum, ergo supremum genus prædicamenti Relationis non erit, unum, sed duo, unum Relativum & aliud absolutum, ad quod relativum illud in communi, referretur.

RESPONDETUR. Quod ly aliud significet absolutum; nec sequetur esse duo genera prædicamenti relationis, quia non est accipiendum ex una parte, relativum in communi, & ex altera illud aliud ad quod referretur, sed simul hæc debent accipi: quod autem illud aliud ad quod referretur relativum in communi, sit quid absolutum ratio est, quia infra dicitur, relationes terminari ad absolutum;

tum; eritq; genus unum, sed cum habitudine ad aliud.

OBJICITUR II. Illud esse ad aliud, vel est aliud realiter, & sic excludentur relationes rationis; vel aliud ratione, & sic excludentur relationes reales; Ergo per se relatio ut sic, definiri non potest.

RESPONDETUR. Ly ad aliud sumi pro ratione communi ad utrumque membrum, si forte mereatur nomen relationis, relatio, quæ est per rationem.

OBJICITUR III. Si relationis totum esse est ad aliud se habere, relatio deberet excludere Esse In, si excludit esse In, ergo excludit rationem accidentis, quam excludere saltim relatio prædicamentalis non potest.

RESPONDETUR. Quod relationis totum esse differentiale, sit ad aliud se habere, licet tanquam rationem genericam dicat Esse In, saltem relatio prædicamentalis.

INSTABIS. Ergo relatio partim dicit Esse, In, partim esse Ad, ergo erit Ens per accidens, cum ex duobus, quorum neutrum est actus, neutrum potentia, Ens per se, fieri non possit.

RESPONDETUR. Quod relatio metaphysicè partim dicat In, partim Ad, sed non physicè, quia hæc in relatione non distinguuntur realiter, Deinde in Metaphysica consideratione, Esse In, erit per modum potentiæ Metaphysicæ, esse Ad, per modum actus; unde per prius se habebit esse In, per posterius esse Ad, posterius inquam, si comparatur ad esse Ad; est enim esse In, magis universalis formalitas, adeoq; prior; sed non posterius aliis formalitatibus in relatione spectabilibus, nulla enim datur in hoc genere prior, consequenter esse Ad non se habet ut Rationabilitas in homine, quæ supponit quid prius in illo, nempe rationalitatem, esse autem Ad, nihil differentiale prius supponit.

OBJICITUR IV. Illud Esse ad aliud, vel est esse ad aliud actu, & hoc non potest dici, nam nullum accidens definitur per actu afficere, sed per aptitudinem afficiendi actu subiectum: non etiam definitur per Esse ad aptitudinale, quia dicerem etiam modos definiri per aptitudinalem determinativitatem.

RESPONDETUR. Definiri relationem per esse actu, probatio illius infringitur in modis, qui non aptitudine determinant, in quantitate, quæ non dicit aptitudinalem extremitatem partium in ordine ad se, sed actualem extremitatem.

INSTABIS. Homo non definitur per actu ratiocinandi, sed per aptitudinem ratiocinandi, Ergo & relativa, debent definiri per aptitudinale Esse ad.

RESPONDETUR. Actus ratiocinandi est effectus, ut ita dicam ipsius rationalitatis, quæ in homine non est aptitudinalis; alias

homo non esset actu, sed aptitudine Homo) si autem est effectus rationalitatis, non potest esse definitivus rationalitatis, jam autem esse ad aliud actu, non est effectus alicujus prioris actualitatis. Rursus aliter se habet actus ratiocinandi ad potentiam ratiocinandi, & aliter se habet Esse ad, ad relationem. Nam imprimis experientia ostendit, esse defectum actualis rationis in pueris amentibus, &c. qui defectus ipsius esse Ad, actualis, non potest ostendi in relatione. Rursus quia potest ostendi per quid transeat potentia ratiocinandi, ad actu ratiocinandi, nempe per Verbum mentis de novo productum, non potest autem ostendi, per quid transiret relatio ad Esse actus referentis; si enim per aliam relationem transiret, rediret difficultas, de illa secunda, per aptitudinalem esse ad, definiretur, an per actuale, si per aptitudinale, ergo deberet per aliam relationem referri, & sic in infinitum. si per actuale, ergo & prior relatio, per esse Ad actuale definiri poterit. Est quidem verum, quod albedo non definiatur per facere subiectum actu album, sed in hoc duo sunt partienda; nam ipsa albedo, non est potentia, sed actu albedo, & ita relatio etiam non deberet esse potentia esse Ad aliud, sed actu. aliud autem, quod partiendum est, nempe ipsum dealbare, quod dealbare, non penderet à sola albedine, sed etiam à subiecto apto; hinc albedo per actu dealbare, non potest definiri, cum non sit actu subiectum illud; jam autem ad esse Ad aliud, quando jam habebitur fundamentum, subiectum, ratio fundandi, & terminus, nihil aliud requiritur. consequenter poterit per esse Ad actu definiri.

Quamquam dici etiam posset, quod cum possent relativa concipi per modum actu relatorum, & per modum referibilium potentia, si cætera desint, posset quis dicere, definiri hic relationem per esse Ad, commune ad Esse actuale Ad, & aptitudinale, licet si jam detur fundamentum Relationis cum ratione fundandi, non possit dicere, nisi esse Ad actuale.

OBJICITUR V. Potest concipi paternitas Divina, ut constituens primam Personam, priusquam concipiatur referens Patrem ad Filium, ergo de ratione relationis, non est actu referre.

RESPONDETUR. In nostris principiis, relationes non constituunt personas, sed origines, unde negatur antecedens. In aliorum principiis dicit Suar. posse fieri ut relatio concipiatur, tanquam forma afficiens subiectum, & non concipiatur distinctè secundum suum totum esse adeoq; secundum esse Ad, Adde non agi hic de Conceptibilitatibus.

DIFFICULTAS II.

Quid sit in re apud alios Relatio?

Res erit de Relatione prædicamentali, quam Thomistæ, & Scotistæ dicunt rem, alii modum Entitativum, alii formalitatem ex natura rei nemine cogitante distinctam.

Punctum Difficultatis I.

An Relatio sit quid distinctum in re?

DICENDUM EST. Relationem non esse realiter distinctam à Fundamento, cum Ratione fundam-
disumpto, & Terminò. Ita Suar. Hurt. Arist. Oviedo.

PROBATUR I. Auctoritate Arist. 5. Metaph. text. 20. ubi dicit: *Similia verò quorum Qualitas est una.* Ex quo principio sic arguitur: Posito pariete albo Romæ, & alio Cracoviæ, & non posita relatione, quæ per oppositos, ab his extremis distincta realiter, vel illi duo parietes habebunt eandem Qualitatem, vel non habebunt: si non habebunt, ergò uterque non est albus, quod est contra suppositionem. Et certè Relatio superaddita, non est dealbativa parietis, ergò apparet parietem illum esse album, ante omnem superadditam Relationem: si uterque eandem Qualitatem habet, ergò sunt similes, absque omni superaddito, similia enim sunt ex Aristotele, quorum Qualitas est una. *Idem sic proponitur:* Supponamus quod Cajus genuerit Personium, supponamus annihilari illam relationem Paternitatis superadditam, quæro: annihilato superaddito vel verum est, quod Personius acceperit esse, per veram generationem à Cajo, vel non est verum, quod acceperit ab illo esse: Si est verum, ergò independentem, à superaddita relatione Cajus est Pater, & Personius est Filius, ergò etiam tunc, referentur ad se, cum per relationem paternitatis, nihil intelligatur, nisi quod hic, sit hujus Filii, Pater; si autem sublata superaddita relatione, non est verum, quod per veram generationem Cajus dederit Esse Personio, Ergò quod tu negas, relatio Paternitatis, erit ipsum Esse Patris, habentis Filium, quod probatur. Quando annihilata relatione superaddita, annihilatur ipsum esse Patris, sequitur relationem superadditam esse idem cum Entitate Patris; sicut si annihilato Jacobo, hoc ipso annihilatur Petrus, sequitur Jacobum & Petrum, esse idem entitativè, præcipuè cum annihilatio illa non foret ex connexionem aliqua, simili ei, quæ est inter Causam, & Effectum possibilem, sed annihilata relatione, annihilatur esse Patris, quia annihilatur id quod dedit esse per

Veram Generationem. Ergò sequitur relationem superadditam esse idem cum entitate Patris, quod negabatur.

RESPONDET I. Maltrius. Fore tunc similitudinem nonnisi fundamentalem, itemq; Paternitatem nonnisi fundamentalem, non autem formalem, sicut passim inquit dicimus, sublata subsistentia non esse formaliter subsistentem, sed tantum fundamentaliter, ac etiam humanitatem præcisà risibilibitate, remanere risibilem tantum fundamentaliter.

CONTRA. Tum quia ut urget Hurt. duo similia fundamentaliter, sunt formaliter similia; illa enim sunt formaliter similia, in quorum uno, est formaliter qualitas formaliter talis, qualis est in alio, hoc enim vult definitio Arist. suppositio autem ponit, & hunc & illud habere albedinem. Tum quia ut urget Arriaga ponendæ hujus duplicis similitudinis, nullum est fundamentum à priori, quod enim: nullum & à posteriori, quia ad hoc neque per experientiam devenimus, nec per effectum, dicamq; quod præter corpus & animam rationalem, eorumq; unionem, requiratur forma superaddita realis Hominis. Tum quia in principiis Scotistarum, relationes transcendentales non sunt distinctæ formaliter à fundamento & Terminò, nec est in illis, partiri fundamentum & formalem relationem. Ergò idem dicam in præsentī; in ipsaq; formalirelatione, non est ponere non nisi fundamentalem relationem, Ergò & aliàs non erit ponere fundamentaliter similitudinem. Quod attinet ad instantiam de subsistentia, potest ostendi quid obstat, ne dicatur tunc natura formaliter subsistens, nempe per illos positio unionis, cum perfectiori; in præsentī autem non potest ostendi, positā Qualitate duorum eadem, quid desit ad formalem relationem; & sicut positā naturā, & negatione, unionis cum perfectiori non est necesse ponere superadditam realem formam subsistentiæ, nec est necesse ponere quod positā naturā, & dictā negatione, sit solum fundamentaliter subsistens natura, ita & in præsentī. Quod attinet ad risibilitatem præcisam, illā præcisā non intelligitur quidem formaliter risibilis homo, erit tamen in re formaliter risibilis, hinc ita arguitur, non datur ulla formalis risibilitas, quā præcisā, non sit homo in re formaliter risibilis. Ergò neque dabitur formalis similitudo, quā præcisā, in re non sit adhuc simile formaliter. Adde sunt aliqua, quæ non sunt formaliter talia, nisi ratione superadditæ Entitatis, v. g. nihil est formaliter album, sine superaddita formaliter albedine, realiter distincta: Alia sunt formaliter talia, sine superaddita entitate, v. g. homo est risibilis, sine superaddita realiter risibilitate. aut quodcunque aliud pone exemplum. Quæcun-

que ergo dabitur taxa dignoscendi, quodnam formale possit salvari, sine superaddita entitate, idem salvabit, non esse superadditam entitativè rationem formalem relationis. Taxa inter alias, hæc potest esse, quando nihil minus habet illud fundamentale, quam habeat formale superadditum, signum est non dari illud superadditum, jam enim habetur præidentificatum. Hoc autem est in præsentia; nihil enim minus habet, Fundamentalis similitudo, præ Formali, superaddita. Hoc enim ipsum quod non minus habeat (excepta Entitate de qua lis est superaddenda) fundamentalis relatio præformali, signum est identitatis; quia habere, hoc quod aliud habet, est signum, hoc esse, esse, hoc esse.

RESPONDET II. Mastrius: Hunc effectum qui est dicere habitudinem ad aliud, non posse haberi ab entitate absoluta, adeoque, & debere haberi ab entitate relativi;

CONTRA. Nego habitudinem ad aliud non posse haberi ab entitate absoluta, in circumstantia termini, & rationis fundandi posita.

RESPONDET IDEM III. Quando Aristoteles dicit, quod similia sint, quorum Qualitas eadem, (in qua auctoritate argumentum datum fundatur) definit Relationem per fundamentum; quia cum relatio in se sit minimæ Entitatis aut intelligibilitatis, facilius per fundamenta dignoscitur & definitur.

CONTRA. Tum quia nullum fundamentum adfertur, quod illic non definiatur, ut est relatio, adeoque quod in re, non sit relatio v.g. duarum Qualitates. Tum quia si est minimæ entitatis & intelligibilitatis, intelligiturque v.g. similitudo per duas Qualitates, cum non diceretur etiam illis Qualitatibus identificata similitudo. Tum quia definitio indistinguitur realiter à re definita. Ergo si relatio definitur per illa duo, erit illa duo.

PROBATUR II. Auctoritate S. Th. q. 7. de poten. a. 8. Item op. 48. tr. 5. c. 2. ait Similitudo Sortis, non est aliqua res in Sorte, alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis. Eiusdem locum oppositum explicat Hurt. d. 15. Metaph. l. 2.

PROBATUR III. Nulla est necessitas superaddendæ realiter distinctæ relationis. Confirmatur communiter; quia non posset ostendi agens quod esset productivum similitudinis distinctæ.

RESPONDET I. Aliqui cum Rub. quod distantia impediatur, ne aliquid producat absolute, non impedit, ut producatur relativum; consequenter, paries albus Cracoviæ, producat similitudinem in pariete albo Romæ, cum fundamentum relationem producat, actione Metaphysica, non Physica.

CONTRA. Distantia impedit, ne quid producat absolute in distantia; ergo etiam impedit, ne quid relativum producat, & si producat actione Metaphysica, relatio à fundamento, hoc ipso necerit distincta realiter; sicut quia à rationalitate producatur risibilitas actione Metaphysica, risibilitas, non est à rationali distincta realiter.

RESPONDET II. Mastrius. Produci relationem ab ipso fundamento, posito tamen termino, velut conditione necessaria, quamvis ille terminus non influat physicè, tamen requireretur ad productionem relationis, eo modo, quo requiritur actus Intellectus, ad producendum actum Voluntatis, licet in eum non influat physicè.

CONTRA. Posito albo pariete Romæ de novo, quæro quid parietem Cracoviæ existentem determinabit, ut procedat ad effundendam relationem realem? cum fundamentum nesciat, an sit, vel non, in rerum natura ille paries.

RESPONDERI POSSET III. ex Ovied. Quod sit in entitate fundamenti exigentia, quia exigit à DEO concursum ad productionem novæ Relationis, si forte ponatur terminus.

CONTRA. Concedo quidem præsuppositam tali exigentiâ, sufficientem fore determinationem, per oblationem novi concursus, sed huius ipsius exigentiæ ponendæ, nullum adest fundamentum, urgetque Ovied. scilicet qui quod DEUS possit formalitatem relationis producere sine termino; potest enim DEUS præstare concursum, ultra exigentiâ fundamenti. Denique recurrere ad DEUM sine necessitate, Philosophicum non est.

Punctum Difficultatis 2.

Fundamenta Oppositorum.

OBJICITUR I. Potest adesse, & abesse à fundamento relatio. Ergo relatio est accidens realiter distinctum. Antecedens probatur. Si existat Terminus, erit relatio, si tollatur terminus, non erit. Ergo.

RESPONDETUR. Potest adesse, & abesse relatio à fundamento, in circumstantia termini posito, negatur. Extra hanc circumstantiam. Concedo. Conclusio autem identificat relationem fundamento, in circumstantia Termini posito.

OBJICITUR II. Omnis denominatio positiva, nova, & realis, debet provenire à forma nova, positiva, & reali, sed denominatio v.g. similis in albedine est denominatio nova, positiva, & realis. Ergo. Sed hæc forma, est relatio, ergo illa est novum quid, positivum, & reale.

RESPONDETUR. Denominationem novam, positivam, & realem, si sit realis rigorosè, debere provenire à forma reali rigorosa, si autem sit realis non rigorosè, hoc est supponens nonnisi pro non ficto, potest requirere nonnisi formam Metaphysicam, qualis etiam forma, est relatio. Jam autem denominatio relati, est denominatio realis, prout reale opponitur ficto, non autem prout reale, opponitur Metaphysico.

OBJICITUR III. Impossibile est simul & semel, eandem formam intendi & remitti; intensio enim, & remissio, sunt contrariorum; sed si non esset quid distinctum realiter relatio, esset forma, quæ simul & semel posset intendi & remitti; supposito enim, quod Sortes sit magis albus quam Plato, suppositoq; quod Sortes quatuor gradus albedinis habeat, Plato verò duos, si remittatur albedo Sortis, Sortes erit magis similis Platoni albo, quem supponimus esse album ut duo; Posito verò, quod intendatur albedo Sortis, fiatq; albus ut 5. fiet minus similis Platoni, quia tamen est albus ut duo. Et tamen intensus albus erit, Ergò ulterius similitudo, non est ipsa albedo.

RESPONDETUR. Impossibile esse simul & semel, eandem formam Physicam intendi & remitti Physicè, licet possit eadem forma Logica, Logicè intendi, & remitti Physicè, jam enim diverso respectu intensio & remissio verificabitur. Porro relatio est forma Logica, concipiturq; intendi Physicè quia intenditur albedo, cum qua identificatur Physicè, quamvis concipiatur remitti, non in ordine Logico, sed physico, in quantum albedo remittitur. Tota autem Logica intensio, vel remissio relationis, statim majori convenientia graduum.

INSTABIS. Potest esse intensio in relatione, & remissio in fundamento, Ergò relatio & fundamentum, non sunt eadem Entitas. Antecedens probatur, quia, quando album ut octo, comparatur ad album ut 4. si albedo ut 8. remittatur ad gradus tres, erit remissio in fundamento, & Major intensio in relatione, magis enim intensè refertur album ut tria, ad album ut quatuor, quam album ut octo, ad album, ut 4. sunt enim sibi magis similia tria, & quatuor, quam quatuor & 8.

RESPONDETUR. Quando remanebunt tantum gradus tres ex gradibus octo, intendetur similitudo non Physicè, sed Logicè; similitudo enim Physicè, hujus albi, cum hoc albo, est ipsa albedo, quæ ut supponitur non augetur, sed minuitur; intenditur autem Logicè, quia magis est simile tria cum quatuor, quam octo, cum eodem quatuor; non repugnat autem, ut illa, eandem entitatem

constituant, quæ augentur Logicè sumpta, remittuntur Physicè sumpta.

OBJICITUR IV. Quando in DEO, & Creatura, aliqua ratio est reperibilis; eaq; realis, tunc semper in DEO, est idem realiter cum illo, in Creatura autem est distincta realiter; ut patet in misericordia, sapientia, quæ in DEO sunt idem, distincta verò realiter in nobis. Sed dantur in DEO relationes reales, identificanturq; DEO, Ergo etiam cum dantur in creaturis, debebunt esse distinctæ in Creaturis.

RESPONDETUR. Negando Majorem, est enim in DEO unitas, veritas, bonitas, identificata DEO; quæ etiam non distinguuntur realiter in creaturis; taxa autem colligendi, quod aliqua sint indistincta; est principium Negativum, Non sunt multiplicanda Entia &c. & si posita hac entitate sine ullo superaddito salvari potest ratio quæ sita, apparebit indistinctui illa realiter; potest autem esse, entitas hominis. & non esse in illo misericordia, non potest autem esse fundamentum in circumstantia termini, sine relatione.

OBJICITUR V. Pr. Laurentius Pillavski Si paternitas non distingueretur entitative ac realiter à fundamento, non contradistingueretur adæquatè paternitas à filiatione, sed contradistinguitur, ut exigit oppositio relati, & probat contradistinctio Æterni Patris à Filio. Sequela probatur. quia si Paternitas non est quid distinctum à Patre, sed est ipsa Patris entitas, cum entitate Filii, & Filiatio est entitas Filii cum entitate Patris, sequitur hæc non magis differre, quam panem cum vino, & vinum cum pane, hæc autem realiter non distinguuntur inter se.

RESPONDETUR. Quod vinum cum pane, & panis cum vino, si ipsa membra propositionis inter se in eadem propositione comparentur, sint distincta realiter; certe enim vinum cum pane duas res inportat, Panem & vinum. Cæterum si aliter comparatio instituitur, non erunt distincta realiter, hoc est, si comparetur unum membrum propositionis in recto positum, ad aliud membrum propositionis positum in obliquo, tunc non erit distinctio realis; panis enim in recto positus, à pane eodem in obliquo posito, non sunt distincta realiter. Sic etiam Entitas Patris in recto posita, habens se ad entitatem Filii, in obliquo positam, sunt membra in eadem propositione distincta realiter, licet paternitas in recto posita, non sit distincta à paternitate in obliquo posita, ad eum modum; quo cum assidet Petrus Paulo, etiam Paulus assidet Petro, & tamen Petrus & Paulus sunt distincti realiter, licet alia & alia combinatio Petri & Pauli, præcisè ratione ejusdem Petri in

in recto, vel obliquo positi, non adferat distinctionem realem.

OBJICITUR VI. Si relatio est idem cum fundamento, sequeretur idem physicè, produci primo, & non produci primo, hoc est absurdum. Sequela probatur Posito termino & fundamento, post accessum rationis fundandi producit relatio, & non producit fundamentum.

RESPONDETUR. Produci relationem Logicè, non autem Physicè, productio autem Logica, non arguit distinctionem realem producti.

OBJICITUR VII. Auctoritas S. Th. q. 1. parte. q. 28. à. 2. docet relationem habere esse accidentale in subiecto, & in 1. senten. dist. 32. q. 1. a. 1. dicit; relationes inesse subiectis, & facere cum illis compositionem; & q. 8. de poten. ait relationem in Creaturis esse accidentem, nec posse esse idem, quod substantia.

RESPONDETUR. Omnia hæc eo sensu accipi posse quod relatio sit accidens Metaphysicum, faciatq; cum subiectis compositionem Metaphysicam, dicitq; relationem Prædicamentalem, non posse esse idem, quod substantiam, quia hoc ipso non esset accidens Metaphysicum, cum v. g. non sit de substantia hominis esse Patrem.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur reliqua Argumenta.

OBJICIT. I. Maftrius. hic d. 8. n. 19. nisi ponatur relatio prædicamentalis esse accidens ab extremis reipsa distinctum, tolleretur prædicamentum Relationis, & omnes relationes ponentur mutue, quod est absurdum.

RESPONDETUR. An sit aliquod distinctum ab aliis prædicamentum, pensari inde non debet, quod sit in se distincta reipsa entitas, alias passio ab actione, situs, ubi, &c. deberent esse Entitates superadditæ, quod multi negant; sufficit ergo, ut sit ens reale, prout opponitur ficto, & reale, realitate illorum, quibus imbitur, extrahendo illas ipsas realitates, ad diversum prædicamentum, per formalitates, connotationesq; alias, quæ per suas series deduci possunt, adeoque constituere diversum prædicamentum. Quod autem ex his principiis sequatur, tolli relationes mutuas, hoc ipsum probandum fuisset; Addo, in divinis dantur verè relationes reales ad intra, & per nostram sententiam ad extra, neq; tamen est necesse ponere illas relationes realiter superadditas. Ergo apparet realitatem relationum pensari non debere,

ex superadditione entitativa relationum, & quamvis rationes identificatæ Deo. in nobis sint distinctæ realiter, id tamen non est verum universaliter, ut dictum est supra, alias unitas, existentia, &c. essent distinctæ realiter in nobis, & quod horum indistinctorum classem, sequantur relationes creatæ, probant argumenta.

OBJICIT II. Idem. Dantur, in Creaturis denominationes purè relativæ, ergo dantur puræ Relationes, quæ sūt Prædicamentales.

RESPONDETUR. Dari purè relationes, sed ita, ut spectentur tunc Metaphysicè, & prout subsunt nostris conceptibus, sicq; sumptas relationes, sequentur purè denominationes relativæ; sed si spectentur relationes prout sunt à parte rei, sic non sunt purè relationes, nec dantur denominationes ab illis oriundæ sic spectatis, quæ sint purè relativæ.

OBJICIT III. Idem. Quidquid est in duabus albedinibus simul existentibus, totum est in duabus sibi succedentibus invicem, Ergo si similitudo non dicit aliquid reale supra Entitates absolutas illarum, ita similis erit albedo existens alteri futuræ, sicut alteri eodem tempore existenti.

RESPONDETUR. Quidquid est in duabus albedinibus simul existentibus totum est in duabus succedentibus, quoad rationem &c. in linea albi, sed non in ratione denominationum fundatarum, in simul existentia duorum alborum, & quia denominatio similis est fundata in existentia duorum alborum, non habebitur jam, si unum sit non nisi album. Addo sicut dantur denominationes fundatæ in singularitate albedinis, ita dantur fundatæ in coexistentia duorum, sicut ergo non datæ singulari albedine, non dantur denominationes fundatæ in singulari albedine, ita, non datæ coexistentibus albis, non dabuntur denominationes exinde oriundæ; talis autem est denominatio similis.

OBJICIT IV. Idem. Vel relatio habetur in fundamento, ad positionem termini, de novo, vel supponebatur jam in fundamento quoad totum suum esse; si primum, vel erit sola amorum extremorum coexistentia, aut denominatio inde sumpta, quæ est Nominalium opinio, vel forma aliqua de novo resultans, in fundamento, ad positionem termini, quod vult Maftrius, si verò dicatur secundum, nempe supponi fundamento identificatam, ante adventum termini, tunc præterquam quod non salvetur, esse verum accidens, sequitur etiam quod semper denominet subiectum actu relativum &c.

RESPONDETUR. Relatio habetur in fundamento ad positionem termini de novo,

vo, ita tamen, ut existente uno albo, supponeretur illa relatio, secundum id, quod dicitur pro subiecto, in recto; & secundum esse subiecti, tota quoad subiectum supponebatur. sed quia requiritur intrinsecè aliquid extrinsecum, nempe terminum, ideo, nec denominatur subiectum sine termino, nec subiectum ipsum referri potest. Quoad alia quæ tangit obiectio, ex dictis habetur, relationem Physicè non esse nisi duo Extrema, ex quibus pullulat forma de novo, non Physica, ut vult Mastrius, sed Metaphysica, quæ est formalitas relationis, quam esse Physicam, & esse accidens inidentificabile, probare debuisset.

INSTABIS. Per relationem in esse completo, vel intelligitur sola entitas absoluta fundamenti, ex qua, posito termino, nata est resultare relatio; sed inde non infertur identitas relationis cum fundamento, sed potius vera à parte rei distinctio, vel intelligitur vera forma relativa, ratione solum distincta; ergo secluso termino habetur tota relationis essentia, referturque subiectum, ante existentiam termini, eritque terminus necessarius, non tantum ad denominationem relativam sed etiam ad ipsam entitatem relationis, quia ante terminum ponitur inchoata solum.

RESPONDETUR. Non asseri à nobis identitatem relationis cum fundamento simpliciter sumpto, sed cum fundamento in circumstantia termini posito, adeoque dum habetur, etiam extrinsecum, intrinsecè requisitum; pullulat ergo tunc forma Metaphysica, quæ est relatio, sed non independenter à termino, seu ab extrinsecò, intrinsecè requisito consequenter illo excluso, non habetur tota relationis essentia, quia nec ordo ad terminum, eritque ad entitatem relationis necessarius terminus, sed necessarius tanquam aliquid extrinsecum, intrinsecè requisitum, quod si in fundamento posito in circumstantia termini pullulat relatio, quæ est forma Metaphysica, hoc ipso non erit necesse ponere Relationem distinctam realiter.

OBJECIT V. Idem. Potest relatio Prædicamentalis alicui fundamento superaddi, quod prius sine illa existerat, & etiam ab eo tolli; ergo cum possit abesse & adesse distinguetur realiter.

RESPONDETUR. Relationem nec posse addi, nec posse auferri in circumstantia termini, ratione cuius non habiti, erat defectus alicujus extrinseci intrinsecè requisiti, & distincti realiter à fundamento.

INSTABIS. I. Ergo fundamentum denominabitur relatum, per denominationem meram extrinsecam, ex positione termini extrinseci, & tamen denominatio termini relati, est nova, realis, intrinseca.

RESPONDETUR. Cum in re denominationis, dicat aliquid pro intrinsecò, intrinsecè etiam requisito, & aliquid extrinsecum, intrinsecè tamen requisitum, non debet dici simpliciter denominatio simpliciter extrinseca, est autem illa denominatio nova, & realis Metaphysicè.

INSTABIS II. Non desunt, qui putent, posse separari similitudinem à duobus albis, ut ita maneant non nisi fundamentaliter similia.

RESPONDETUR. Nullam esse rationem, cur non maneant tunc illa duo formaliter similia, ut alibi ursumus.

INSTABIS III. Licet separabilitas arguat distinctionem realem, non tamen indistinctionem, inseparabilitas; Ergo quamvis in separabilis foret relatio, posset distingui.

RESPONDETUR. ex dictis in Metaphysica, quod inseparabilitas entitativa arguat identitatem realem. Jam autem relationem esse inseparabilem Entitativè, supra probatum.

Punctum Difficultatis 4.

An Relatio sit Modus.

DICENDUM. Relationem non esse modum, entitativè superadditum.

PROBATUR I. Quia nulla necessitas eveniendi relationem, usque ad gradum entis Physici. Item non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Nulla autem necessitas huius modalitatis.

RESPONDET. Maurus qv. 54. Log. Principium hoc indigere examine. si enim sit sensus, quod non debeamus multiplicare entia sine probabili ratione, principium est verum: si sit sensus: quod non debeamus illa multiplicare sine ratione demonstrativa, est principium falsum, quia si ad alia, ita in hac quaestione, sufficiunt rationes probabiles. si sit sensus: quod DEUS & natura nihil faciunt superfluum h. e. non conducens ad finem intentum, est etiam principium verissimum: Si sensus sit: quod natura sit velut Anus avarissima, est principium falsum & injuriosum divinæ munificentiae, nonne enim nobis dedit quos oculos, cum unus sufficiat ad videndum.

CONTRA. Quia ipse respondens qui movit litem, huic principio, debuisset adferre sensum illius principii proprium; nam recursus ad rationes probabiles in presenti non est explicatio principii, quia est non nisi expressio modi verlandi circa obiectum non multiplicabile sine necessitate, non autem expref-

expressio ipsius objecti. Et cum hæc ratio sit inter potissima principia, & quasi quædam demonstrativa ratio, procedens per principia negativa, debet dari Metaphysica ejus necessitas, posset prædicti principii esse hic sensus. Quæ possunt secum identificari, pro identificatis habenda, & non multiplicanda: quod principium est Metaphysicè certum. Et quia sunt aliqua, quæ sunt distincta realiter v. g. oculus ab aure, alia quoad vim idem præstandi indistincta v. g. sensus communis non hic erit illius principii sensus, quasi seligat Deus non nisi identificabilia; alias cum sit possibilis oculus identificans sibi etiam auditivam, non deberet distingui oculus & auris. Sed hic erit sensus quando constat aliquid positum esse, si illi possit aliquid identificari, ex istis de quorum esse jam constat, hoc ipso debere supponi, esse identificatum; hocq; ostendit etiam inductio. Quia autem fundamento in circumstantia termini & rationis fundandi potest identificari relatio constatq; illam dari censenda est identificari.

PROBATUR II. Proportionaliter applicando rationes præcedenti puncto formatas.

PROBATUR III. Si hoc ipso quia poneretur Materia & Forma & dispositiones poneretur Unio, nulla esset necessitas superaddendæ Entitatis modalis, ut scitur ex principiis Modalistarum, ergo cum posito fundamento & termino rationeq; fundandi, non possit non esse relatio, hoc ipso indistinguetur modaliter; Deinde illi ipsi aliqui ad ponendam unionem, requirunt novum concursum divinum, condistinctum à concursu productivo Materiæ, Formæ, & dispositionum quem non requirunt ad productionem relationum, Ergo apparet relationem non esse Entitatem, etiam Modalem novam, deniq; modi sunt inventi ad salvandos aliquos transitus à contradictorio ad contradictorium, potest autem à contradictorio non relati, transiri ad relatum, sine modo, vel per positionem solius termini, vel per positionem novæ rationis fundandi.

OBJICITUR I. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium, sine entitate saltim modali, Ergo etiam impossibile est, à non esse relati, ad esse relati saltim sine entitate modali transire.

RESPONDETUR Neg. Antecedens secundum dicta de hoc principio in Materia de Distinctionibus.

OBJICITUR II. à pari; unio est modus, aut non sine modo; Ergo & relatio.

RESPONDETUR. Disp. esse, quia nisi unio ponatur esse modus, aut non sine modo, non ostendetur sufficiens mutatio transitus, à non esse uniti, ad esse uniti, quæ posita, ne-

cesse sit inimpedibiliter, etiam divinitus illa uniri, potest autem sine ulla superaddita entitate ostendi, quare duo extrema debeant referri ad se, & quidem inimpedibiliter, etiam à DEO; hoc est, vel propter novam rationem fundandi, vel per appositionem termini.

INSTABIS. Visio non est ipsa potentia in circumstantia objecti visibilis. Ergo nec relatio, est ipsum fundamentum, in circumstantia termini.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia potest esse potentia visiva, in circumstantia objecti visibilis, & non esse visio. Ergo circumstantia objecti visibilis, non est sufficiens mutatio, pro transitu ad esse visi; impossibile autem est, ut posito fundamento in circumstantia termini, & rationis fundandi, non sit relatio, ut probatum supra.

OBJICITUR III. Magis differt relativum ab absoluto, quàm absolutum, ab absoluto, sed absolutum ab absoluto, realiter differt, Ergo & relativum ab absoluto, realiter differt, sed non differet realiter absolute, ergo saltim differet realiter modaliter.

RESPONDETUR. Falsum esse universaliter, quod absolutum ab absoluto differat realiter, nam ratio Entis, Substantiæ, Corporis, sunt rationes absolute, identificate tamen v. g. in homine. Sed quicquid sit de hoc, potest id concedi, quod relativum ab absoluto magis differat Metaphysicè, & secundum rationes definitivas, quàm absolutum ab absoluto, licet possint non magis differre Physicè; cum non repugnet identificari rationes diversis definitionibus definibiles, ut cum in homine identificatur Animalitas & Rationalitas, quæ diversas habent definitiones, licet non identificentur secum rationes, quæ eadem definitione definiuntur; ut non identificantur secum Petrus, & Paulus, licet eadem definitione definiantur.

ADDO. Relationem, non esse quidem modum, interdum tamen pro rationibus fundandi exigere modalitates, adeoq; non esse semper sine modo; imò in relatione Similitudinis, in Qualitate, vel in relatione Quantitatis, non sine realitate esse.

Argumenta Recentiora.

Maurus ponit etiam quæst. 54. hic relationem prædicamentalem distinctam modaliter, & ad propositum.

OBJICIT IV. Quando Scholastici post Arist. propugnarunt Relationes contra Occhamum, qui cum Zenone illas negabat, non est verisimile Zenonem & Occhamum aliud negasse

negasse, quam accidentia totaliter intrinseca fundamentis, & contradistincta à fundamentis, termino, & ratione fundandi, Ergo Scholastici & Arist. ponunt talia accidentia. Minor probatur: quia quis credat Zenonem, dum negavit dari relationem coexistentiæ, negasse coexistentiam consistentem in hoc, ut illa plura existerent eodem tempore, cum talis coexistentia negari nequeat ab homine sanæ mentis.

RESPONDETUR. Quod attinet ad Aristotel. illum voluisse quidem relationem esse accidentis, sed Metaphysicum, adeoque indistinctum realiter, dum ait, similia sunt quorum qualitas eadem est. Mens Zenonis non liquet quæ fuerit, sed forte voluit negare, non duo coexistentia, sed habitudinem illorum ad se, in qua tamen habitudine, stat relatio. Occidimus est verum quod propugnavit relationes indistinctas realiter, idque contra sententiam Thomist. & Scotistarum communem, à quibus inferebatur illum sustulisse prædicamentum relationis, sed hoc ipsum probari deberet; dicimus enim casu quo non distinguatur relatio realiter, adhuc fore relationis prædicamentum.

INSTAT. Arist. 14. Metaph. t. 3. & alibi docet ad aliud minime omnium prædicamentorum natura quadam esse, ac posterior, tum quanto, tum quali; Ergo putavit habere illam esse debilissimum, quod verificari non posset, nisi relatio prædicamentalis distingueretur à reliquis prædicamentis.

RESPONDETUR. Hanc auctoritatem pro nobis esse; si enim debilissimum esse habet, non habet esse æque inhærens, ac accidentia, haberet autem esse æque inhærens, si foret entitas superaddita. Debilitas autem velexinde arguitur, quia quod debile est, indiget fulciri; positio autem relationis indiget hoc fulcra, nempe aliquo extrinseco tanquam termino. Rursus, quia quamvis etiam accidens Physicum indigeat aliquo tanquam subiecto, id simpliciter ejus debilitatem non arguit, quia nec arguit debilitatem in forma materiali substantiali, quæ etiam existere non potest sine subiecto; quia tamen utrumque habet esse suum proprium, ideo non potest adhuc debilissimum appellari. Jam autem esse relationis, non est esse distinctum. Rursus reflectendo mentem ad alia prædicamenta etiam illa non sunt distincta entitative, ut situs, passio, &c. cur ergo erit necesse relationem distinguere entitative. Rursus habet etiam præ illis debilius esse relatio, quia adferunt suum proprium esse alia prædicamenta; neque enim ex præsupposito aliquo esse, passio pullulat, esse idem dicendo; relatio autem pullulat ex præsupposito esse, duorum v. g. qualium, &

quidem esse idem dicendo; & in his stat debilitas esse, quod dicit Relatio.

OBJICIT V. Ut unum objectum referatur intentionaliter ad aliud v. g. Petrus ad Paulum, non sufficient duæ cogitationes absolutæ, quibus dicam: Petrus Paulus, sed requiritur cognitio comparativa indivisibilis; per quam Petrus comparetur cum Paulo; ergo ut duo entia referantur realiter per relationem coexistentiæ, non sufficient duæ existentiæ absolutæ, sed requiritur una coexistentia indivisibilis, quæ sit forma, per quam Petrus coexistat Paulo, & referatur ad ipsum: ordo enim intentionalis, & ordo realis, debent inter se proportionari.

RESPONDETUR. Etiam concessa distincta entitate relationis realis, non videtur concedenda coexistentia distincta realiter, non tantum ex eo quod si existentiæ (quidquid ille in oppositum dicat) non sit distincta realiter, ita nec coexistentia; sed etiam exinde, quia si aliquid esse par, non est quid distinctum realiter in ratione præcisa paris, cur esse coexistens, sit distinctum realiter à duobus coexistentibus. Rursus jam unumquodque deberet bis existere, sua existentiæ superaddita, & illi superaddita alia superaddita coexistentia, nam non posset facere coexistere, nisi etiam faceret existere: consequenter quando duo sunt alba, ut detur similitudo, deberet superaddi coalbedo, adeoque deberet etiam illa dealbare, distinctæque dari deberent albedines specie, una albefactiva, altera autem essentialiter coalbefactiva. Sed quidquid sit de hoc, directe ad argumentum dici potest; cum per nos relatio sit accidens nonnisi Metaphysicum, dabitur forma Metaphysica per quam referantur Petrus & Paulus coexistentes. Proportionabuntur autem inter se ordine intentionalis (supple formalis) cum ordine Metaphysico intentionalis quidem, sed objectivo: quia sicut ordo intentionalis formalis, debet esse attractivus habitudinis Petri ad Paulum, non autem merè attractivus Petri & Pauli, ita & ordo Metaphysicus, dicit indivisibilem habitudinem: & per hoc solvitur etiam prima confirmatio, quam ibidem ponit.

INSTAT. Ut ego affirmem Petrum & Paulum simul existere, non sufficit ut dicam: Petrus existit, Paulus existit, sed debeo addere copulam & dicens: Petrus & Paulus existit. ergo requiritur & in relatione coexistentia seu simultas correspondens copulæ Et.

RESPONDETUR. Requiri objectivam respondentem simultatem, sed distinctam Metaphysice, non autem Physice; nam etiam per nos relatio Formaliter, non est duo
mera

mera absoluta, sed habitudo absoluti ad aliud de quo infra.

Objicit VI. Cum plura quæ possunt facere & non facere unum, faciant unum, non pluribus, sed uno faciunt unum, quod non potest esse, quin illa faciat unum: & ita unus homo fit per unam unionem, continuum fit unum per unum indivisibile: sed partes universi possent facere unum & non facere unum, ergo faciunt unum aliquo uno, quod non potest esse, quin faciat unum universum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum probabit quod detur in primis una coexistentia Petri & Pauli, altera coexistentia Petri & Joannis, & simul tertia coexistentia Petri, & Pauli, & Joannis. Rursus dabitur coexistentia coexistentiæ unius in Paulo, alius in Petro. Item deberi dari coexistentia omnium universalis: & quidem si vel unum ens intereat mutabilis, mutabilis item ad motum singulorum, quia locum importat in se, illa relatio coexistentiæ. Directe autem ad argumentum, ut plura faciant unum sufficit additio unius Metaphysicæ superadditi, si etiam sit unum Metaphysicum, unum autem relatum, est unum Metaphysicum. Compositum quia est unum Physicum, requirit unionem Physicam. Quare autem hic nulla debeat superaddi entitas, cum superaddatur in composito, alibi dictum. De continuatione dicetur in Physicis.

Objicitur VII. Relatio coexistentiæ ponit in rebus pulchritudinem & perfectionem condistinctam à perfectione & pulchritudine entitatum absolutarum; sed quod ponit distinctam perfectionem & pulchritudinem, ponit distinctam entitatem, quia perfectio & pulchritudo, necessario est entitas.

RESPONDETUR. Quod relatio ponat pulchritudinem Metaphysicam, adeoque nec entitatem Physicæ distinctam, sed entitatem Metaphysicæ distinctam, hoc est formalitatem. Quod crescente perfectione absoluta non crescat relativa, alibi solvitur: Sed in super.

INSTAT. Implicat ut res evadat simpliciter pulchrior per hoc, quod nihil addatur pulchritudinis, sed solum auferatur aliquid pulchritudinis; sicut non potest aliquid evadere magis album, per solum diminutionem albedinis, quam antè non habebat; ergo ideo quia auferendo pulchritudinem absolutam, additur nova pulchritudo relativa debet aliquid addi.

RESPONDETUR. Additionem posse esse & Physicam & Metaphysicam; diminutæque pulchritudine Physica, potest addi pulchritudo Metaphysica, nempe relatio; aliudque est evadere simpliciter pulchrum, aliud eva-

dere comparative & per habitudinem ad aliud; simpliciter pulchrum non evadit majus sine additione entitatis, sed comparative pulchrum, potest evadere magis pulchrum, sine additione, si scilicet posita diminutione, magis sint similia formaliter, ut alibi dictum. Et Ratio est, quia comparativa pulchritudo stabit in non plus & in non minus quàm aliud, ad quod diveniri potest, etiam diminutione.

Punctum Difficultatis 5.

An relatio sit Formalitas.

DICENDUM EST. *Relationem non esse formalitatem, ex natura rei distinctam actu.*

PROBATUR. Omnibus illis rationibus, quibus probatum est non dari distinctionem ex natura rei actu. Objectiones petuntur ex loco citato. Sed Insuper.

Objicitur I. Alia est ratio intelligibilis, seu formalitas relationis, alia fundamenti; alia enim est formalitas absoluti, alia essentialiter relativi. Ergo Relatio à fundamento distinguitur formaliter ex natura rei; illa enim distinguuntur formaliter ex natura rei, quorum Rationes intelligibiles, seu formalitates sunt distinctæ.

RESPONDEO. Alia est formalitas relationis spectatæ prout est à parte rei, & alia fundamenti positi in circumstantia termini, & rationis fundandi. Nego antecedens. alia est formalitas relationis Metaphysicæ spectatæ, & prout subest nostris conceptibus. Concedo Antecedens. Nego Consequens.

Objicitur II. Quæ se duæ formalitates à parte rei non transcendunt, formaliter distinguuntur à parte rei formaliter, sed formalitas relationis & fundamenti, non se à parte rei transcendunt. Ergo.

RESPONDETUR. Negando Minorem.

Objicitur III. Petrus potest esse à parte rei formaliter Petrus, & non formaliter Pater. Ergo formaliter Pater, formaliter Petrus, distinguuntur formaliter ex natura rei.

RESPONDETUR. Petrus posse esse formaliter Petrum, & non formaliter Patrem, si non habeat circumstantiam Filii, & rationis fundandi, secus si habeat; Unde in priori casu, non erit Petrus formaliter Pater, secus in posteriori.

Objicitur IV. Absolutum, & relativum differunt nemine cogitante. sed, fundamentum & relatio, habent se sicut absolutum & relativum, Ergo.

RESPONDETUR. Nego quòd fundamentum in circumstantia termini & rationis fundandi

dandi positum; comparatè ad relationem, habeant se sicut absolutum, & relativum. Major etiam est falsa, quia potest aliquid diverso respectu esse absolutum, diverso relativum.

OBJICITUR V. Illud quod causatur Physicè, ab eo quod causat, debet distingui Physicè, & realiter; quod verò causatur Metaphysicè, debet distingui formaliter ex Natura rei; Sed relatio causatur à fundamento in circumstantia termini, & rationis fundandi posito, causatur inquam Metaphysicè, Ergo & distinguitur formaliter ex naturæ rei actu.

RESPONDETUR. Quòd cum causari Metaphysicè, sit causari ex modo nostro concipiendi, hoc ipso non erit necesse, ut causa talis, & causatum tale, distinguantur nemine cogitante.

DIFFICULTAS III.

Proponitur Quid sit Relatio?

PRÆMITTO I. *Præter sententias allatas, restat re duas alias I. quam innovavit Hurr. Arr. Ov. qui relationem dicunt esse, duo absoluta v. g. Paternitatem esse Patrem, & Filium. similitudinem item, esse duo alba. II. Suar. & aliorum, qui relationem per connotata explicant, hoc est per fundamentum in circumstantia termini positum, ita ut Paternitas sit ipsa Entitas Patris, in circumstantia Filii posita; & Filius in hac sententia, non est pars constitutiva relationis, quæ est Paternitas, sed solum quid extrinsecum, quantumvis ut additur in connotatis, intrinsecè requisitum. Hæ duæ sententiæ ut concordari possint.*

PRÆMITTO II. *Unam eandemq. rem dupliciter spectari posse, primò Physicè, & prout est à parte rei; II. Metaphysicè, & prout subest nostris conceptibus. ita v. g. Homo, si spectetur Physicè, non aliud est, nisi corpus ita dispositum, & anima rationalis, & illorum unio, si autem spectetur Metaphysicè, erit animal rationale.*

PRÆMITTO III. *Quòd videatur etiam Aristot. dupliciter spectasse Relationem. I. Physicè, ut loc. cit. §. Metaph. tex. 20, ubi dicit, Similia esse, quorum Qualitas est una. II. Eandem relationem spectasse videretur Metaphysicè: dum relativa definivit: Relativa sunt, quorum hoc ipsum esse, ad aliud se habere. ad quæ attendendo.*

Punctum Difficultatis I.

Tenenda Sententia.

DICENDUM EST. *Si relatio Physicè spectetur, nihil aliud est in re, quam ipsa duo absoluta, aut potius duo Extrema, ut ita explicetur relatio universaliter etiam per Ordinem ad divina, intercedit enim relatio inter personas divinas, quæ non sunt quid absolutum sed relativum. Usurpabimus tamen frequentius quòd Relatio Physicè spectata sit duo absoluta, quam duo extrema, quia prior illa Phrasis, in Scholis invaluit. Seu potius nihil aliud est, Relatio quam fundamentum, supple cum ratione fundandi acceptum, & terminus. Relatio autem Metaphysicè spectata, seu secundum quòd formari ejusdem conceptus debet, est ipsum fundamentum, connotans terminum: vel alia phrasi: Relatio Metaphysicè spectata, non est Compositum ex fundamento & Terminò, tanquam partibus, sed terminum dicit, tanquam quid extrinsecum, intrinsecè requisitum.*

Prima Pars Conclusionis.

PROBATUR I. *Qualitas in hoc, & Qualitas in hoc, sunt duo absoluta; sed ex Arist. similitudo in re, est Qualitas in hoc, & Qualitas in hoc; similia enim sunt, Quorum Qualitas est eadem. Ergo similitudo in re, est duo absoluta.*

PROBATUR II. *Relatio nihil est reale supra fundamentum, & terminum, ut probatum supra, ergo Physicè spectata, nihil est in re nisi fundamentum & terminus. Consequenter probatur. Quòd nihil est reale præter fundamentum & terminum; illud nihil est in re, nisi fundamentum & terminus, sed relatio Physicè spectata nihil est reale præter fundamentum & terminum. Ergo.*

PROBATUR III. *Per oppositos relatio est fundamentum prout connotat terminum, seu fundamentum in recto, terminus in obliquo. Item est fundamentum in circumstantia termini. Inverso. Ergo relatio Physicè spectata, non est aliud nisi duo absoluta, quia hoc prout connotat terminum, quid in re est, præter fundamentum & terminum? Rursus quid in re est hoc in recto, illud in obliquo, nisi ipsum fundamentum, & terminus? rectum enim & obliquum non dantur, nemine cogitante, sed illorum objecta; objecta autem illorum, quid aliud in re, nisi fundamentum & terminus, ipsum fundamentum & terminum non nisi objectivè spectando, fundamentum enim formale, & terminus formalis, sunt denominationes nostræ, in re autem sunt Entitas, quæ genuit v. g. & Entitas*

Entitas genita. Item fundamentum in circumstantia termini positum, quid aliud in re, & Physicè est præter fundamentum, & terminum hocq; quod est esse terminum & circumstantiam, quod aliud in re est, præter ipsum terminum, præcipue cum terminus ille sit talis circumstantia, ut sine illo, nec concipi, nec definiri possit relatio.

Secunda Pars Conclusionis.

PROBATUR I. Omnibus illis rationibus quibus actum est pro Connotatis in Met. de Distinctionibus, & in particulari, quod relatio Transcendentalis, non componatur Termino, tanquam parte.

CONFIRMATUR. Ex dictis in Materia de Sacram. in communis, ubi de Constitutivo Intrinseco ut sic, ubi de Institutione, Intentione & in Materia de Pœnitē. An peccata sint pars? Ex quibus colligis terminum non esse partem Relationis.

PROBATUR II. Tum quia si fundamentum & Terminus essent formaliter relatio, essent formaliter id, cuius esse totum, est ad aliud se habere, sed fundamentum & termini, non est esse totum se ad aliud habere; Probatur Minor. Quia ille terminus, vel se habet ad aliud, vel non se habet ad aliud; si se habet ad aliud, Ergo non est terminus, quia terminus est, ad quod se habet aliquid: si non se habet, ergo non est pars ejus, quod se habet ad aliud, cum neget se habere ad aliud, adeoq; negat quod sit relatio, cum ejus esse totum, sit, ad aliud se habere. Tum quia non identificatur terminus ipse fundamento, etiam partialiter, utpote distinctus, realiter à fundamento. Ergo nec identificabitur, etiam partialiter relationi; non enim magis distant inter se, fundamentum & terminus, quam id, cuius esse est ad aliud se habere, & id cuius esse, non est ad aliud se habere, sed ad quod se habere, debet totum. Tum quia illud est intrinsecè relatio, quod facit concretum istud relatum, tanquam forma; sed concretum hoc quod est relatum, est solum fundamentum in circumstantia termini positum, Ergo relatio intrinsecè est solum fundamentum in circumstantia Termini. Tum quia urgeri potest argumentum superius præc. diff. II. positum: Si relatio componeretur intrinsecè, tanquam parte termino, etiam Paternitas componeretur intrinsecè, tanquam parte Filio; sed hoc non potest dici, quia sequeretur Filium & Patrem non esse distinctos inter se realiter, quia quando aliqua non plus, nec aliud dicunt, sunt idem inter se, jam autem nihil tunc diceret Paternitas plus, aut aliud, si componeretur Filiatione. Tum quia non definivit Arist. relativa esse, quorum esse, est cum alio esse, nec definivit formaliter sumpta relativa, quod sint aliud & aliud, quod debuisset dicere, si relatio formaliter essent duo absoluta, consequenter ponere formaliter relationem, quod sit formaliter duo absoluta, est ponere definitum, longè aliud, à definitione objectiva.

RESPONDET Quidam. quod terminus nullo modo referatur ad terminum, est tamen inadæquatè ordo, & constituit inadæquatè ordinem fundamenti ad terminum. Additq; quod relationis prædicamentalis esse, sit ad aliud à fundamento, sed non ad aliud ab ipsa relatione; esse enim relationis non debet esse adæquatè distinctum à termino, sed terminus debet esse adæquatè distinctus à fundamento.

CONTRA. Tum quia fundamentum debet esse ad aliud; Ergo & ordo illius debet esse ad aliud, & si fundamentum quod refertur non componitur termino, nec ordo componetur. Tum quia non fundamentum definitur, cum dicitur relatio est cujus esse, est ad aliud se habere, sed definitur relatio seu ordo illius. Ergo & ordini terminus est ad aliud. Tum quia redit Argumentum factum aliàs. Ordo de quo hic, est cujus esse est, ad aliud se habere: Solum fundamentum est cujus esse est, ad aliud se habere: Ergo solum fundamentum, est ille ordo, si fundamentum refertur ad aliud à se, & ordo refertur. Vel si mavis, dic, Relatio est, cujus esse est ad aliud se habere: Ordo de quo hic, est relatio: Ergo ordinis hujus esse, est ad aliud se habere: si ad aliud; Ergo non componetur ordo, illo alio: quia compositivum nunquam est aliud illi, quod componit; licet sit aliud, ab eo, cum quo componit.

PROBATUR III. Si relatio formaliter esset duo absoluta, tunc prædicamentum unum, & quidem definitione distinctum, constitueretur per prædicamentum aliud, definitione similiter distinctum; nam alia est definitio absoluti prædicamenti, alia definitio relativi, sed non potest, unum prædicamentum constitui formaliter per aliud prædicamentum, quia non potest album formaliter constitui per nigrum; quod ipsum in hoc resolvitur; quia hoc ipso non essent diversa prædicamenta, siquidem unum prædicamentum formaliter, esset aliud prædicamentum formaliter.

Adfero hic aliqua excerpta ex Isquerdi Tomo I. disp. 9. q. 5. prop. 19. ipsum enim auctorem legere non licuit.

Obicit Ille. Impossibile est, Essentiam deficere, quin vel ipsa tota, vel pars illius deficiat, aut enim Essentia est simplex, aut composita; si simplex impossibile est eam deficere, quin tota deficiat; si composita aliqua saltem pars illius deficere debet, ut deficiat ipsa, alioquin habentibus esse omnibus & singulis illius partibus, ipsa non haberet esse, quod est impossibile. Atqui deficiente termino Relationis & cæteris omnibus manentibus deficit Relatio, ut fert Connotatarum sententia, Ergo terminus vel est Essentia ipsa Relationis, vel pars illius.

RESPONDETUR. Concedo, Impossibile esse Essentiam deficere, quin vel ipsa tota, vel pars illius deficiat, sed nego defectum hunc Essen-

† Nn

tia

tiæ semper oriri debere ex defectu ejus, quod pars sit, cum possit oriri ex defectu alicujus Extrinseci, sed intrinsecè, seu necessariò requisiti. Concedo omnem Essentiam vel esse simplicem vel compositam, sed una retinendo rationem Essentiæ, aut absolutæ, aut respectivæ, & quidem si sit Essentia simplex, sed Relativa, impossibile est eam deficere, quin tota deficiat, sed defectu oriundo, ex eo quod desinat illud extrinsecum, sed intrinsecè & necessariò requisitum, ponendo autem, quod relatio sit compositum quoddam sumptum pro aggregato, ex eo quod dicit intrinsecè, & tanquam intrinsecum, & ex eo, quod dicit tanquam extrinsecum, licet intrinsecè seu necessariò requisitum, eo casu ut dicatur deficere relatio, non erit necesse deficere partem aliquam intrinsecam, sed sufficit desinere aliquid extrinsecum intrinsecè tamen requisitum; jam enim tunc non manebit aggregatum illud, quod constatur ex aliquo intrinsecè requisito, & ex illo extrinsecò, cum supponatur illud extrinsecum perire, consequenter dum deficient termino Relationis deficit Essentia Relationis, non erit necesse ponere, quod terminus sit pars Relationis, sed quod sit in toto illo aggregato Extrinsecum, sed necessariò requisitum, quod si Extrinsecum, hoc ipso non Pars, nihil enim componitur per sibi extrinsecum. Quare autem terminus sit Extrinsecum, ostendunt rationes, adlatæ. Ethæc Responsio ostendit quomodo desinat Relatio sumpta Metaphysicè, seu sumpta pro formalitate pullulante in fundamento proximo circumstantionato per terminum proportionatum. Quod si loquamur de Relatione Physicè spectata, indubiè deficient termino deficit aliud Extremum Relationem ingrediens, cum ipsa Relatio Physicè, sit illa duo extrema. Licet illud ipsum extremum ingrediens Relationem Physicè spectatam, non sit pars, de quo alibi.

Objicit idem. Si Terminus non esset, vel Essentia ipsa Relationis, vel pars illius, sed aliquid adæquatè distinctum, & nihilominus solo termino deficiente deficeret Relatio, fieret ut deficiente solo termino, non deficeret solus terminus, quod est contradictio; deficeret solus terminus ut supponitur, dicitur enim solus deficere; non deficeret solus, quia deficeret Essentia Relationis adæquatè ab illo distincta. Ergo.

RESPONDETUR. Retorquendo Argumentum deficiente solo Terminò, qui sit pars compositiva Relationis, & deficeret solus terminus, non enim supponitur altera compars deficere; & non deficeret solus; quia etiam tunc desineret Relatio. Quod si dicas, hoc sensu affirmati, quod deficiat solus Terminus, quia non tantum deficiente alia comparte, perit Relatio, ita etiam & nos dicimus, deficiente solo termino deficere Relationem, quia scilicet non tantum ut ob defectum solius fundamenti, illa desinat.

COLLIGE. Hoc totum quod est Relatio, dicitur unum & intrinsecè, & tanquam intrinsecum & hoc est fundamentum seu subiectum Relationis; deinde hoc totum quod est Relatio dicit aliquid Extrinsecum, seu ly ad aliud, hocq; ipso dicit illud non tanquam partem; casu ergo quod pereat terminus, perit vel pars termini compositiva, si sit terminus quid compositum, vel tota simpliciter Entitas termini; consequenter mutatis illius intrinsecis, mutatur & terminus; sed non est necesse vel perire partem, vel totum quod est ipsum fundamentum, quia Essentia termini, non est Essentia fundamenti. Ubi ut vides, admitti à nobis inexcusatum hoc principium. Impossibile esse rem manere, non manente ejus Essentiâ cum hoc tamen stat, ut mutatione in alterutro posita, non maneat tamen Relatio, quia hæc, est totum quoddam, non tantum dicens à se intrinsecè requisita, sed etiam dicens aliqua Extrinsecâ, seu ly Ad Aliud, tale tamen Ad aliud, quod definitionem Relationis ingreditur, adeoq; sit intrinsecè, seu necessariò requisitum.

PUNCTUM DIFFICULTATIS II.

Componitur nē creata Paternitas, creata Filiatio:

Assumptum est supra in argumento, quod si Relatio formaliter est duo absoluta, hoc ipso paternitatem & Filiationem non distinguendam realiter.

RESPONDET Aliquis huic argumento. In Creatis Paternitatem & Filiationem non distinguere realiter, sed solum differre, ex modo concipiendi & significandi, licet Paternitas Increata à Filiatione increata distinguatur realiter, quia illic interveniunt relationes transcendentales, vel certe est illic relatio prædicamentalis, sed inseparabilis, adeoq; cum ratione identificabilis, suo fundamento. Et licet, quæ opponuntur relativè, distinguantur realiter, sed negatur Paternitatem & Filiationem opponi relativè, solum enim sunt id, quo Pater & Filius opponuntur relativè. Paternitas quidem divina opponitur relativè Filiationi, quia est realiter ipse Pater, qui opponitur ut Quod Filius; & sicut malè quis argueret, ex eo opponi relativè actionem, & passionem in Creatis, quia in divinis productio activa & passiva, opponuntur relativè, ita & in præsentis. Pater ergo, ut est formaliter Pater, non distinguitur realiter à Filio, Pater tamen materialiter, quatenus est Homo, vel quatenus est causa generans, distinguitur realiter à Filio. Et licet abstractè sumpta Paternitas non distinguatur realiter à Filiatione, concretum tamen, Pater & Filius, distinguuntur realiter; ad eum modum, quo si una albedo foret in tribus parietibus, essent tria alba; quanquā etiam Paternitas & Filiatio, non sunt abstractum à Patre & Filio divisim sumptis, neque enim Paternitas, est abstractum à solo Patre, sed Paternitas est abstractum à Patre & Filio, conjunctim sumptis.

Contra

CONTRA I. Tum quia propter hoc ipsum non est ponendus terminus, pro parte intrinseca relationis, ne inauditum hoc concedatur, nempe, Paternitas & Filiatio est idem, & si non ex modo significandi, est paternitas, est enim realis Paternitas, ita nec ex modo significandi debent distinguui. Tum quia labefactabitur, fundamentum distinctionis realis, inter Paternitatem, & Filiationem divinam, quia hanc rimamur homines, ex distinctione Paternitatis creatæ à sua Filiatione, quæ jam in creatis, non erit distincta per te realiter. Tum quia posita relatione prædicamentali in divinis, eaq; inseparabili est ratio identificandi illam fundamento, ergo etiam, cum relatio Creatæ, sit inseparabilis à fundamento, in circumstantia termini posito, erit ratio illam identificandi, si posito fundamento, præcipue, cum denominationes connotativæ, pendant ab aliquibus extrinsecis.

CONTRA II. Tum quia si Pater & Filius opponuntur relativè, distinguunturq; realiter, etiam Paternitas, & Filiatio distinguuntur realiter. Item ipsum ut quod relativum distinguitur realiter ut Quod, Ergo & relativum ut Quo, distinguetur realiter Ut Quo. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia illa distinctio realis, non oritur ex Ut Quo, & Ut Quod, sed ex oppositione relativa, Ergo si opponuntur relativè ut Quo, Paternitas, & Filiatio, Ut Quo, distinguetur realiter. Quod autem Paternitas opponatur Ut Quo relativè, Paritas probat: quia Pater opponitur ut Quod relativè, Ergo & Paternitas opponitur ut Quo relativè. Et certè opponi ut Quo relativè, est esse rationem abstractam, formalem, ipsius ut Quod, oppositi relativè, hæc autem ratio abstracta & formaliter v.g. Patris, est Paternitas. Videtur hic favere principium: Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis, propter autem Paternitatem, ut propter rationem formalem, pater distinguitur realiter à Filio, & si oppositio relativa inter Patrem, & Filium ideo est; quia Pater seipsum inadæquatè non generat, certè & Paternitas non est ratio Ut Quo generationis sui inadæquata. Tum quia Paternitas divina opponitur relativè Filiationi, quia est realiter ipse Pater, sed etiam in Creatis, Paternitas realiter est ipse Pater, neq; enim entitativè distinguitur Relatio Paternitatis creatæ à Patre. Ergo etiam creatæ Paternitas opponitur relativè Filiationi. Tum quia quod posita distinctione reali, inter productionem Activam & Passivam in divinis, non rectè arguatur, distinctio inter actionem & passionem creatam, hoc exinde est, quia non datur Actio, quæ non sit realiter & Physicè, Passio in Creatis. Datur autè realiter Paternitas, quæ non est realiter Filiatio. Rursus quia productio activa, & passiva in divinis, sumendo illas ut sumi debent pro Originibus, sunt constitutivæ personarum, actio autem & passio in Creatis, non sunt constitutivæ personarum, ideo ab activa & passiva pro-

ductione in divinis, non rectè arguetur ad actionem & passionem in Creatis; jam autem æquè datur in Divinis ac in Creatis, Paternitas, & Filiatio; ergo bene inferetur, si hæc in divinis sunt distincta realiter, erunt etiam distincta in Creatis. Tunc ergo in divinis ad Creatæ non tenet argumentum, quando vel involvitur Mysterium Trinitatis, vel infinitudo, vel quando non constat, prædicatum illud haberi in Creatis.

CONTRA III. Tum quia quod dicitur Patrem, ut Pater est formaliter, non esse adæquatè distinctum à Filio, non convincit, nam in primis concessum supra, non quidem Paternitatem, Patrem tamen esse oppositum relativè Filio; sed quidquid sit de concessio, sequetur ex responsione, nullam dandam in Creatis, oppositionem relativam Patris; non oppositio Patris quæ Pater est formaliter, ut concedunt; non etiam Patris materialiter sumpti. Ratio. quia Pater materialiter sumptus est Pater, quæ Homo; sumptus autem, quæ Homo, dicit relationem disparitatis, sed non relationem Paternitatis, nec potest aliud quicquam ostendi ratione cujus salvetur oppositio Relativa Patris. Addo si est distinctio adæquata inter generantem, quæ generantem, & genitum in divinis, etiam est distinctio adæquata inter Patrem, seu genitorem, quæ Patrem, seu quæ genitorem, cum duo hæc verbis differant. Ratio est, quia in Deo principium generans, quæ generans, ideo adæquatè realiter distinguitur, quia genitum nec inadæquatè est generans, nihil enim etiam inadæquatè generat seipsum, sed etiam Pater nec inadæquatè est Filius; Ergo par utriusq; ratio. Tum quia. quod posita unica albedine dicantur tria alba, hoc exinde est, quia illius triarii abstractum formale, non est albedo sed ratio subiecti; hinc poterunt esse tria alba seu tria subiecta, licet sint una non nisi albedo. Jam, autem ratio formalis abstracta Patris, est Paternitas: hinc si Pater opponitur relativè Filio, etiam paternitas opponitur relativè Filiationi. Tum quia si paternitas non est abstractum à solo patre, licet circumstantionato entitate Filii, Ergo pater constitutus paternitate, est Filius inadæquatè, quia ipsa paternitas constituens Patrem includit inadæquatè Filiationem. Ad hæc autem concedenda, nullus articulus fidei premit, imò potius est negandum ut melius salvetur distinctio paternitatis divinæ.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Contra primam partem Conclusionis. Similitudo physicè spectata, est duo absoluta; Ergo & Metaphysicè spectata erit duo absoluta.

RESPONDETUR. Multum probat argumentum, quia probaret etiam Metaphysicè spectatum Hominem, non esse nisi Corpus & Animam,

nam; quod autem aliter spectari possit relatio, & non tantum Physicè, ostendit Arist. auctoritas, ostendit & alia definitio de facto exhibita. Deniq; id deponit fundamentum, quod habetur in ipso subjecto & termino, ad sic formandum Relationis, conceptum; nam v.g. Pater generat Filium, à se distinctum, qui se ipsum nullo modo generat, daturq; fundamentum concipiendi, quod Paternitatis esse, sit, ad aliud se habere.

INSTABIS I. Mastr. hic d. 8. n. 21. Similitudo non dicit præcisè conceptus duarum albedinum, sed aliquid ampliùs, scilicet habitudinem illarum, quæ explicatur, per Sicut, unde etiam similitudo dicitur de unoquoq; extremorum se-junctim, duæ autem albedines simul existentes non ita prædicari possunt; non enim dici potest quod hæc albedo, sint duæ albedines, simul existentes, nec simile, idem quod duo alba, simul existentia.

RESPONDETUR. Similitudo (non quidem conceptus duarum albedinum, quia conceptus spectant ad Metaphysicam relationis considerationem) requirit duas albedines, requiritq; habitudinem, quæ Physicè non sit aliud, quàm illa duo, ipsumq; illud Sicut, est in re illa duo; similitudo dicitur de utroq; extremo, sed non ita, ut Physicè similitudo sit unum extremum, unde ita dicitur similitudo, de uno extremo, ut importetur aliud extremum, importatioq; extremi, salvat, ut in re involvantur duo; non dicitur autem de una albedine, duæ albedines, quia una albedo, non est alia albedo, nec albedo est prædicatum importativum, aliùs albedinis. Negatur autem quod simile Physicè spectatum non sit duo alba simul existentia.

INSTABIS II. Per hanc copulativam Petrus est albus, & Paulus est albus, explicatur coexistentia duorum alborum, non tamen similitudo, sed insuper requiritur quod Petrus sit albus sicut Paulus.

RESPONDETUR. Requiritur comparisonem, ita tamen, ut Petrum esse album, sicut Paulum, Physicè non sit aliud, nisi Petrus & Paulus, uterq; albus.

INSTABIS III. Ex hac copulativa, Petrus est albus, & Paulus est albus, absq; petitione principii, deducitur consequens: Ergo sunt similes; non ergo formaliter similitudo, est illa coexistentia, alborum.

RESPONDETUR. Similitudo est formalitas pullulans ex duobus albis, recta ergo erit ad illam consequentia, ita tamen ut similitudo illa Physicè non sit aliud, quàm copulatum duorum alborum.

INSTABIS IV. Albedo Pauli, & Albedo Petri coexistentes, secundum suos conceptus absolutos, non efficiunt plusquàm binarium albedinum; sicut enim una albedo facit unum album, sic duæ albedines faciunt duo alba, quæ denominatio, non est relativa.

RESPONDETUR. Negando quod duæ albedines faciant tantum duo alba, sed primò quidem faciunt duo alba, consecutivè tamen faciunt, duo similia, similia enim sunt, quorum Qualitas eadem: binario itaq; illi, tanquam absoluto infundatur relativum similitudinis, cum albedo primò facit unum album, consecutivè & fundativè, facit, potentiâ simile, altera autem albedine posita, actu simile.

INSTABIS V. In hac sententia non potest explicari, quare hoc album & illud album extrema dicantur, nisi detur aliquod medium inter ea, cujus extrema dicantur, cur enim hoc extremum dicatur fundamentum, & illud terminus?

RESPONDETUR. Hoc medium potest dici ipsa pullulans formalitas relationis; erit autem adhuc denominatio relativa, denominatio realis, sed realitate extremorum, vel realitate prout realitas supponit pro non ficto, neq; enim formalitas illa est quid fictum, licet sit Metaphysicum, vel quod idem est in præsentia Intentionale, nam etiam Intentiones ad Metaphysicū spectant, quia ad eā spectant rationes abstractissimæ. Potest etiam hoc medium assignari; ratio fundandi. Denique hæc extrema appellantur imitativè, non autem in omnibus id servando, sed in hoc, quod sicut ante extremum inchoativum nihil est prius, illiq; debet unice tribui inchoatio; ita referri ut Quod unice tribuitur fundamento, & sicut ultra extremum terminativum nihil est, ita & ultra extremum, ad quod est relatio: sicut in fundamento aliquid fundatur, ita formalitas relationis fundatur in uno extremo; & sicut ultra terminum res non progreditur, ita nec relatio ultra suum terminum.

OBJICITUR. II. Quod hanc sententiam nemo doceat.

RESPONDETUR. Docere illam Arist. cumque sit media inter duas sententias, habet pro utraq; parte auctores.

OBJICITUR. III. Contra Secundam Partem Conclusionis. Multis ab Arr. & Ov. Sed ad hæc solutio videnda in Materia de Connotatis.

OBJICITUR IV. Contra eandem Partem Mastr. n. 22. quia vi hujus sententiæ sequitur, quod relatio non erit una res relativa, sed duæ absolute, in recto una, alia in obliquo, imò cum non magis esse In, quàm esse Ad, sit de conceptu relationis, malè ponitur terminus esse connotatum, & fundamentum solum, principale significatum.

RESPONDETUR. Relationem Physicè spectatam, non esse unam rem relativam, sed duas, licet Metaphysicè spectata sit una res, rem accipiendo pro eo, quod non est fictum; quod autem debeat esse relatio, res una Physicè, probari debuisse: Ut salvetur, quod magis spectat ad relationem Esse ad, sufficit dicere, quod terminus ille, licet in obliquo ponatur, habeat se nihilominus per modum distinctivi.

INSTABIS I. Etiam si dicamus hoc album esse simile

simile illi, adeoque quod unum importetur in recto aliud in obliquo, tamen per hoc nihil aliud significatur, nisi quia hoc album est, & illud est album.

RESPONDETUR. Hoc solum significatur Physicè spectata similitudine, secus Metaphysicè illa spectatà.

INSTABIS II. Ergo Arist. non debuit definire relativa, quæ hoc ipso quod sunt, ad aliud sunt; potius enim debuit definire: Quorum esse, est cum alio esse.

RESPONDETUR. Priori modo relationem definire Metaphysicè spectatam, posteriori autem modo, recurriendo ad absolutum, definitur ratio Physicè, ut dictum supra.

INSTABIS III. Cum non minus sit de conceptu relationis esse Ad, quam esse In, malè docetur, relationem importare entitatem fundamenti, & connotare terminum.

RESPONDETUR. Hoc ipsum probandum esse.

INSTABIS IV. Aut ista connotatio est idem prorsus cum entitate fundamenti, sicq; etiam destructo termino, stabit denominatio; aut est quid distinctum ab ea, & hoc idem dici poterit de Relatione.

RESPONDETUR supra, quod ratio Physicè, non sit idem cum entitate fundamenti, sine circumstantia accepta, nec connotatio.

INSTABIS V. Quia si effectus connotativus pendet à termino, id est dicendum, & de relatione, & addit quod forma relativa, etiam secundum se sumpta, pendet à termino. Ergo non potest conservari sine suo termino.

RESPONDETUR. Concedendo id totum in nostris Principiis.

INSTABIS VI. Quidam. Terminus non se habet in relatione Prædicamentali ut conditio extrinseca necessariò requisita, nam conditio, est ad aliquid ponendum conditio, sed terminus, v.g. Filius, non est conditio ad ponendum suum fundamentum, nempe Patrem, quia Pater est ante Filium, non est etiam conditio ad ponendam relationem Paternitatis, quia illa per se nihil aliud est, quam solus Pater, ad quem ponendum non sufficit conditio; nec demum Filius ad ponendum seipsum est conditio; Et ratio à priori est; quia dum est causa formalis unita subiecto capaci, nulla datur amplius conditio extrinseca. Unde quicquid requiritur ad tribuendum effectum formalem in genere Causæ formalis, sive veniat in recto, sive in obliquo, sive sit extrinsecum subiecto, sive intrinsecum, nunquam est conditio, sed forma partialis denominans: unde etiam in hoc concreto: Cognitum, licet cognitio sit extrinseca objecto, & licet veniat in obliquo, est pars intrinseca.

RESPONDETUR. Possèt quidem Terminus relationis condistingui à conditione, habereq; proprium nomen quod sit extrinsecum intrinsecè requisitum, sed non relegando terminum, à

ratione conditionis, dici potest quod terminus sit conditio ad ponendam relationem Paternitatis, quæ nihil aliud est, nisi Pater, sed non quomodoque spectatus, sed in circumstantia termini, & rationis fundandi positus; sufficitq; illa conditio, si supponatur Entitas Patris, ratioq; fundandi. Illa ratio à priori habet sui reversionem in relatione Transcendentali, cujus terminus non est pars, & tamen ratio relationis inclusa quoad sua intrinseca, in ipso fundamento, requirit essentialiter terminum, ut sit relatio. Directè autem dicitur; Majorem veram esse de forma absoluta, non autem de respectiva, quæ potest aliquid extrinsecum, quia ad aliud, intrinsecè tamen exigere, scilicet tanquam ingrediens suam definitionem. Quod attinet ad cognitum, illud non est totum quoddam rigorosum, sed aggregatum, cujus potest dici pars, abusive cognitio, sola enim respondentia passiva ad cognitionem, est pars Metaphysica cognitii. Sed sumendo pro aggregato totum quod spectat ad relationem, sicut illud aggregatum, non est totum rigorosum, ita nec terminus est pars rigorosa, sed erit aliquid aggregati illius, nempe extrinsecum intrinsecè requisitum. Loquendo autem de cognitione, quæ est verè totum quoddam in se, illius pars non est objectum, & tamen nisi ponatur illius objectum, cognitio non erit cognitio.

INSTABIS VII. Cognitio est extrinseca objecto cognito, & tamen est pars cognitii, Ergo quamvis ponatur terminus esse quid extrinsecum, poterit esse pars.

RESPONDETUR. Sicut si sumatur generatio pro toto suo aggregato, includit etiam dispositiones, quæ possunt quidem, sed non nisi abusive, dici partes, ita & in præsentia. Sed quidquid sit de hoc: Directè dici potest, quod cognitum dupliciter sumi possit, materialiter, & specificativè, sic non est pars illius cognitio, sed pars illius, sunt prædicata partialia objecti, in eodem reperibilia, & ab illa cognitione attachata. Secundò, cognitum sumi potest, formaliter, & reduplicativè, sic sumpto, non est quid extrinsecum cognitio, nulla enim forma est extrinseca, suo formato, sicut nec Accidens, sibi accidens est, sed est sibi essentialis; risibilitas sibi non est proprium, sed essentialis; ita etià cognitio reduplicativè spectato, non est quid extrinsecum cognitio, consequenter poterit esse ejus pars. Jam autem relationi Terminus, semper est quid extrinsecum, quia toti illius esse, est ad aliud, relatio enim est, cujus totum esse, est ad aliud se habere. Et hoc dictum esto, secundum communiores imaginationes, secundum quas, cognitio dicitur esse pars cognitii, accipiendo cognitum, ut dixi pro quodam conflatu, quo sensu totius conflati ex Causa & effectu, pars erit Causa, rigorosè autem dici deberet, quod cognitio sit non nisi actus, & cognitum sit non nisi objectum, nec habent inter se habitudinē partiū. Porro id quod

† Nn 3

est

est pars cogniti, est respondentia passiva objecti, ad cognitionem actualem, quæ respondentia passiva, est pars Metaphysica cogniti; Salvabitur autem ratio denominationis extrinsecæ, quia illa passiva respondentia, indiget actu extrinseco, actus autem appellantur Formæ, ipsaque respondentia passiva, est perfectio quædam extrinseca, ipsismet prædicatis objecti; possunt enim omnia intrinseca salvari v. g. animalis rationalis, sine hoc quod cognoscatur.

Punctum Difficultatis 4.

Solvuntur argumenta Recentiorum.

Solvendæ restant aliquæ objectiones, petitæ Sex definitione Partis. Hic tamen dicenda, præsupponunt ea, quæ tractata sunt sub initium de Sacramentis in Communi. Attingentur nihilominus & hic aliqua.

OBJECIT I. Quidam Constitutivum intrinsecum alicujus denominationis, est id, quo solo ablato, & manentibus per possibile vel impossibile aliis omnibus requisitis ad esse rei, eo ipso formaliter & immediate tollitur denominatio: & quo posito cum aliis ejusdem quoad hoc generis, sublati verò etiam reliquis per possibile vel impossibile, eo ipso formaliter & immediate ponitur denominatio. v. g. Corpus, anima rationalis, & unio, sunt intrinseca constitutiva hominis, quia istis solis præcisè positis, tamen si per impossibile nihil aliud daretur, etiam voluntas Dei de existentia hominis, eo ipso formaliter & immediate poneretur homo. Sublata autem v. g. anima sola, aliis manentibus, etiam voluntate creatoris, eo ipso formaliter & immediate auferretur seu intelligeretur auferri homo. Econtra autem voluntas creatoris de existentia hominis, est extrinsecum connotatum necessario requisitum, quia posita tali voluntate, arguitivè solum & mediata ponitur homo, eademque ablata arguitivè auferitur.

RESPONDETUR. Inquirendo imprimis quid significet istud ly formaliter & immediate: recursusque ad illam instantiam de compositione hominis in præsentem non tenet: quia prius est necesse describere universalem, postea per inductionem eandem probare. Et ita prius est dicere quod homo sit animal rationale, & posterius, quod homo sit Petrus, Paulus, Concedo quod ablata sola anima auferatur totum, quod est homo, quia istæ sunt manifestæ partes, sed querere restabit, in istis quæ non sunt manifestæ partes quodnam sit taxativum, quæ Regula, investigandi istius Ly formaliter Ly immediate. Unde quæro universaliter, cur Aliud importatū in relatione transcendentali, non sit tale, ut illo ablato, non formaliter & immediate auferatur Relatum transcendentaliter, & in relato Prædicamentaliter ablato Aliud, cur formaliter & im-

mediate auferatur. In Particulari cur hoc concretum, quod est creatura dependens à Deo, item cognitio cognoscens objectum, auferatur ablatione Dei, ablatione item objecti, materialiter & mediate. Jam autem Paternitas creata, ablata Entitate filii cur formaliter & immediate auferatur. Est & alia via satisfaciendi eidem Principio, concedendo illud interim, & tantum inquirendo, cur solo ablato extrinseco termino, secundum esse suum physicum & reale, non possit postea subsequi definitio constitutivi intrinseci relationis, ita ut definitio relationis non referatur, in definitiam termini tanquam partis intrinsecæ, sed potius in definitiam constitutivi intrinseci relationis subsequentem nemine cogitante, ad definitiam termini extrinseci. Et tamen per nos desinente termino, definitio fundandi, definitque fundamentum esse in circumstantia termini idque nemine cogitante quod esse illius in tali circumstantia, est constitutivum intrinsecum relationis. Denique cum per nos physicè relatio sit fundamentum seu intrinsecum, Ratio fundandi, Extrinsecum seu terminus, inimaginabile est, ablato illo solo extrinseco, illo Solo Aliud, manere adhuc constatum ex illis tribus, & tamen si Extrinsecum, si Aliud est pars Rigorosa non erit.

RESPONDEBIS I. Ex eo colligi relationem transcendentalem non componi termino tanquam parte, quia ablato termino est necesse auferri aliam entitatem, nempe ipsum Relatum.

CONTRA. Quia quod ablato termino Relationis transcendentalis auferatur Entitas relati transcendentalis, hoc exinde est; quia relatio transcendentalis, est Relatio essentialis, quæ quia auferitur, non poterit manere essentia, sine suo essentiali. Cæterum si per impossibile Relatio transcendentalis non esset essentialis, omnino illa ablata non esset necesse auferri ipsum relatum transcendentalis, seu Fundamentum Relationis. Deinde per nos, etiam ablato termino relationis transcendentalis prædicamentalis, auferitur & quidem nemine cogitante Ratio constitutivi intrinseci Relationis: quia auferitur positio fundamenti in circumstantia termini, quæ positio fundamenti in circumstantia termini, est constitutivum intrinsecum Relationis.

RESPONDEBIS II. Ex eo, in Relatione transcendentali terminum non esse partem intrinsecam, quia si per impossibile ablato termino hoc est v. g. objecto maneret cognitio, adhuc nihil desideraretur de constitutivis intrinsecis cognitionis.

CONTRA. Eodem Jure dicam, si maneret per impossibile Paternitas, & non maneret filius, nihil desiderandum, quod constituat intrinsecè ipsammet Paternitatem. Deinde quæcunque Regula traderetur ostendens quid sit suppositio impossibilis tollens se ipsam, ea ostendat passim in istis exemplis quæ afferuntur ab oppositis formari

marī suppositionem impossibilem, tollentem se ipsam: & sicut est suppositio impossibilis tollens se ipsam dicere, si per impossibile maneret AB sine B, nihil desideraretur de constitutivis intrinsecis AB. Ita est suppositio compossibilis tollens se ipsam dicere, si per impossibile maneret cognitio Dei ablato per impossibile Deo, nihil desideraretur de constitutivis intrinsecis cognitionis Dei. Nam quantumvis per nos etiam, illud Ly Dei, non sit pars intrinseca cognitionis, est tamen tale, ut ablato illo Ly Dei, sit suppositio impossibilis adhuc ponere quod maneat illud complexum Cognitio Dei, manente Ly Dei, sine Ly Dei.

RESPONDEBIS. III. Creaturam v. g. pendere a Deo non nisi mediante actione, hinc ablato Deo, non nisi mediātē auferretur creatura.

CONTRA. In primis non ita est certum, quod creatura pendeat a Deo mediante actione: Nam in physicis negatum est, quod creatio sit modus, aut non sine modo. Deinde saltem ipsa actio non penderet a Deo media alia actione, & tamen concretum hoc ex actione & Deo auferretur immediatē ablato Deo, cum tamen Deus, non sit pars huius concreti.

ADDO. Etiam in Principiis oppositorum non posse dici, quod hoc concretum *Creatura dependens a Deo* dicat Deum tanquam Partem Item hoc concretum *Cognitio noscens obiectum*, non dicit pro parte obiectum: quia praedicta concreta, sunt formalissime relatio transcendentalis, nulla autem Relatio transcendentalis, componitur termino tanquam parte.

COLLIGES. His omnib⁹ pensatis adhuc desiderari, quid sit istud auferri formaliter & immediatē.

OBJECIT. II. Omne totum qualecunque sit identificatur adequatē realiter, cum solis praecise omnibus suis intrinsecis constitutivis simul sumptis: implicatque poni intrinseca constitutiva, ablatis per possibile vel impossibile aliis, quin eo ipso formaliter & immediatē ponatur totum. Ergo quae ita se habent, ut illis solis positis formaliter & immediatē ponatur totū, quidquid sit de aliis, ea necesse est esse omnia, & sola intrinseca constitutiva.

RESPONDETUR. Antecedens esse Verum: indubie enim quod est intrinsecē constitutivum, illud est pars, impossibileque esse poni intrinseca omnia constitutiva, & non poni totum, cum indistinguishatur totum a suis intrinsecis simul sumptis. Unde etiam hoc principium per nos salvatur: nam ablato termino auferuntur constitutiva intrinseca termini, ablato item constitutivo relationis, quod est fundamentum in circumstantia Rationis fundandi & termini positum, auferretur relatio, sed manet tantum fundamentum, certe tamen non sine constitutivis fundamenti. Concesso ergo antecedenti, negatur consequentia: quia licet definitivē pars possit dici intrinsecum constitutivum, non tamen potest dici pars,

quod ea posita cum reliquis formaliter & immediatē ponatur totum, nisi explicetur istud Ly formaliter & immediatē. Hinc non tenebitur consequentia ab antecedente, quod continet definitionem partis, ab consequens, quod non continet definitionem partis. Negatur enim ulterius, quod formaliter & immediatē non ponatur v. g. cognitio Dei, si cum reliquis omnibus ponatur Deus, v. g. si ponatur Deus, ut terminans expressionem sui vitalem, ponaturque ipsa expressio, & tamen Deus non est pars cognitionis.

INSTAT. I. Etiam Ens connotativum, non distinguitur realiter ab omnibus & solis suis intrinsecis constitutivis simul sumptis, & hoc assumptum diutius promoveret.

RESPONDETUR. Concedendo totum, etenim immeritō imponitur nobis quasi ablato termino, dicamus manere constitutiva intrinseca relationis, & non manere relationem, cum per nos ablato termino, & intrinseca relationis constitutiva, (supposita desinentia termini) auferantur, & ex sublati constitutivis relationis, auferatur relatio. Quod constitutivum per nos est ipsummet fundamentum in circumstantia rationis fundandi & termini positum, quod tale poni, fundamenti, nemine cogitante tunc definit: adeoque definit relatio, ob ablationem termini tanquam alicujus extrinseci necessario requisiti, ob ablationem autem illius positionis fundamenti in circumstantia termini & rationis fundandi, ob inquam istam ablationem, definit relatio, tanquam propter defectum constitutivi intrinseci.

INSTAT. II. Ablato solo extrinseco connotato totius, ea quae remanent constitutiva intrinseca totius, collectivē sumpta manent in ratione adequatē identificati cum toto, neque enim aliquid in ratione adequatē vel inadecuātē identificati cum aliquo, constituitur per aliquid extrinsecum. Ergo ablato solo extrinseco, ea quae manent omnia constitutiva intrinseca, manent in esse partium.

RESPONDETUR. Immeritō imaginari argumentem, quod censeamus ablato termino, manere tamen constitutiva intrinseca relationis, vel partes compositivas relationis, non manente relatione: quod nusquam docetur: cum per nos constitutivum intrinsecum relationis, sit positio fundamenti in circumstantia termini & rationis fundandi, quae positio tunc non habetur.

INSTAT. III. Deficiente solo extrinseco connotato totius, illa constitutiva totius quae remanent, vel in esse partium constituuntur per illud quod deficit, tanquam per aliquid quod sit intrinsecum in tali denominatione, & sic hoc ipsum quod deficit, erit intrinsecum; vel constituuntur in esse partium per illud quod deficit, tanquam per aliquid extrinsecum, & jam quæro, quomodo tunc remanentia constitutiva totius non maneant in esse partium.

RESPONDETUR. Negando quod per nos deficiente extrinseco connotato, maneat constitutiva relationis, non enim manet posito fundamenti in circumstantia rationis fundandi & termini; Solumque deficit connotatum hoc sensu, quia sola illa Physica realiter superaddita entitas perit, sed non solus, quasi nemine cogitante non deficiat tunc positio fundamenti in circumstantia Rationis fundandi & termini, quæ positio ex eo tunc perit, quia est *Ad extrinsecum*, quod extrinsecum jam tunc deficit.

INSTAT IV. Omne extrinsecum requisitum ad esse alicujus totius, (quale solet esse causa efficiens, finis, conditio, terminus & similia ut talia sunt) requiritur utique ad esse totius non ratione sui præcisè, sed ratione alterius, à se adæquatè distincti, quatenus videlicet seu producit aliquid seu determinat ad producendum aut ad existendum aliquid, quod est extra entitatem ipsius requisiti. Ergo hoc remanente, ratione cujus requisitum extrinsecum requiritur, etiam si ipsum requisitum extrinsecum per possibile vel impossibile non maneat, non propterea tollitur formaliter & immediatè totum. E contra verò constitutiva intrinseca requiruntur ad esse totius, non ratione alterius ab ipsis distincti sed ratione sui. Ergo remanentibus solis entitatibus ipsorum omnibus, quicquid sit de reliquo, eo ipso immediatè necesse est remanere totum.

RESPONDETUR. Imprimis immerito supponere argumentem ablato termino requisito ad relationem, manere adhuc constitutiva intrinseca ejus ad quod terminus requiritur, non ergo manere id, ratione cujus requisitum extrinsecum requiritur. Deinde ultima illatio continet terminum qui non fuit in antecedentibus: nam nihil fuit ante positum de remanentia entitatum: quam per nos falsum est manere sublato termino relationem quoad entitatem, nec manet per nos quoad entitatem positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi & termini, quæ positio est constitutivum entitatis relationis. Denique physicè spectata per nos relatio, est fundamentum, est ratio fundandi, est extrinsecum seu aliud hoc est terminus: quod aliud à toto illo complexo non est distinctum realiter adæquatè, sed ratione sui requiritur ad illud complexum, & hoc æque contingit in relatione prædicamentali ac transcendentali, licet in utraque, terminus quia est extrinsecum, quia aliud, hoc ipso pars non sit.

INSTAT V. Proponendo Argumentum in Camestres manente solo adæquato intrinseco constitutivo Paternitatis, manet à parte rei paternitas: sed manente sola entitate Patris, non manet à parte rei Paternitas. Ergo sola entitas Patris non est adæquatum constitutivum intrinsecum paternitatis, Major est evidens quia potest nihil à parte rei manere, sine se ipso dicere quod tunc non maneat paternitas terminativè, & secundum id quod dicit in obliquo, est petere

principium; de hoc enim est quæstio, an relatio paternitatis dicat intrinsecè id quod dicit terminativè, & in obliquo, sic enim iteratò urgetur in Camestres. Per te, entitas filii est conditio extrinseca requisita ad hoc ut existat tota relatio paternitatis. Sed per se etiam entitas filii, non est conditio extrinseca requisita ad hoc ut existat sola entitas Patris. Ergo sola entitas Patris, non est tota relatio paternitatis. Major & minor est adversariorum, Consequentia est in Camestres.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sola enim Entitas Patris non est adæquatum intrinsecum Paternitatis, sed sola illa entitas exclusiva quidem est ne terminus sit pars ejusdem; deponit tamen ut in circumstantia rationis fundandi sumatur, vel si placet distingue ex dictis minorem. Manente sola entitate Patris in circumstantia rationis fundandi & termini non manere à parte rei paternitatem, licet manentesola entitate Patris extra circumstantias non maneat à parte rei paternitas, consequenter sola entitas Patris extra circumstantias, non est adæquatum constitutivum Paternitatis secus intra has circumstantias. Nego ulterius peti principium, si quis diceret non manere tunc paternitatem terminativè potius enim ita dicendo staret in principio, probandumque fuisset objicienti, quod istud terminativè, transeat in conditionem extrinseci. Hac tamen distinctione non utor, quia alterum illius membrum subintelligitur quod tunc maneat paternitas quoad entitatem, quod alias est à nobis negatum.

Idem argumentum retorqueri sic potest de Relatione transcendentali Manente solo adæquato intrinseco constitutivo relationis creaturæ ad Deum manet à parte rei relatio, sed manente sola entitate creaturæ v.g. Impossibili Deo non manet à parte rei creatura. Ergo sola entitas creaturæ, non est adæquatum constitutivum intrinsecum relationis. Quod attinet ad secundum argumentum, consequentiam non habet contra nos quia per nos sola entitas Patris utriusque posita, non est tota relatio Paternitatis sed sola entitas Patris, posita in circumstantia rationis fundandi & termini, est tota relatio Paternitatis. Porro de constitutivis intrinsecis discurrendum est proportionatè ad ipsam constitutivam: hinc si constitutum sit absolutum, & in ordine physico, constitutiva etiam illius debent esse absoluta & in ordine physico: adeoque ex accessu vel recessu entium absolutorum pendencia. Quando autem constitutum est connotativum, respectivum, &c. idque connotatione & respectu non superaddita realiter, etiam constitutiva intrinseca non debent esse superadditiva realiter. Quia autem omnis relatio, est constitutum respectivum, & in ordine non superadditi realiter, etiam constitutiva illius non debent esse superaddita realiter, si non superaddita realiter, tunc bene poterit esse relatio constituta, tanquam per suam consti-

Punctum Difficultatis 5.

Continuatur Solutio.

constitutivum intrinsecum, per ipsam positionem fundamenti in circumstantia rationis fundandi & termini, quæ positio talis fundamenti, non est positio alicujus superadditi realiter, sed ipsius fundamenti *talis se habentia, vel Tale Ad, Tale circumstantionatum*: Ita tamen ut ipsa illa circumstantia, non sint id quod refertur, sed ratione cujus fundamentum refertur. Deinde secundum hoc Argumentum, cum sit in Camestres, debuit pro prædicato in minori ponere non illud *Ly Sola entitas Patris*, quia istud *Ly Sola entitas Patris* non erat pro prædicato positum in Majori; hinc si formetur minor ponendo prædicatum, secundum quod fuit positum in Majori, prodibit talis propositio: Sed per te etiam entitas filii, non est conditio extrinseca requisita ad hoc ut existat tota relatio Paternitatis, quæ propositio non est ut ait obijciens nostra, sed potius negatur à nobis. Rursus in Camestres Prædicatum Majoris, est etiam Prædicatum Minoris, si prædicatum minoris, non debet ingredi conclusionem, medius enim terminus qui in secunda figura bis prædicatur, non debet (sicut & in aliis syllogismis) ingredi conclusionem: & tamen ingreditur *Ly enim sola entitas Patris* positum in minori, positum etiam est in Conclusionem ut legens advertet. Si autem in Forma ponatur hoc argumentum, fiet illi prædicta distinctione satis, vel continebit Conclusionem quæ non erit contrarios.

Quod autem attinet ad hoc, cur in relatione transcendentali, terminus non sit pars, quamvis sit pars in relatione prædicamentali hujus, certe non videtur ab illo dari legitima disparitas. Quod enim dicit in relatione transcendentali requiri terminum extrinsecum, ad existentiam solius fundamenti de hoc queritur, cur in relatione prædicamentali non requiratur etiam terminus extrinsecus ad existentiam solius fundamenti. Deinde quod dicit si per impossibile daretur fundamentum relationis transcendentalis sine suo termino, puta entitas hominis sine Deo, adhuc solvaretur formaliter tota relatio Abalietatis in sola entitate hominis, utpote limitata quod inquam dicit non convincit. Imprimis quia videtur hic formari suppositio impossibilis, tollens se ipsam: supponere enim, quod entitas hominis sit sine Deo, est supponere quod sit sine Ab alio, illud enim *Ab illud Alius* est Deus; Si est sine Ab alio, quomodo sine suppositione impossibili tollente se ipsam, dicit Abalietatem. Nec ex eo illa creatura erit ab alio formaliter, qui erit limitata, alia enim est formalitas limitati, & relatio, alia formalitas & relatio Abalietatis: hinc si per impossibile vel possibile daretur infinitum creatum in aliquo genere, esset illimitatum in illo genere, & tamen in illo genere Ab alio. Deinde dici potest, si per impossibile esset positio Fundamenti in circumstantia rationis fundandi sine termino, esset tunc relatio.

Obijciunt III. Si prædicta definitio non teneat partes, si terminus non ingrederetur relationem tanquam pars &c. sequeretur in aliqua linea entis, idem à parte rei manere sine se ipso, nempe manere omnia & sola constitutiva intrinseca totius, identificata adæquatè toti, nec tamen manere ipsum totum; quod evidenter implicat. Et hæc est implicantia quæ toties requiritur cur ablato intrinseco auferatur totum, non autem ablato extrinseco.

Respondetur. Negando sequelam, probatio sequelæ supponit aliquid quod à nobis non docetur: nempe ablato termino, manere omnia & sola constitutiva intrinseca relationis. Nec videtur cui usui serviat dare implicantiam cur ablato intrinseco auferatur totum, non auferatur ablato extrinseco: cum in hac thesi, utraq; pars conveniat, differt autem in hoc quod si aliquo ablato immediatè aliquid auferatur, jam hoc ipso definitivè argui quod auferatur pars. Differimus item in hoc, cur ex ablato extrinseco, non posset sequi ablatio constitutivorum relationis, adeoque & relatio.

Instat I. Doctrina nostra involvit combinationem terminorum repugnantium, nam illa positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, est ens Logicum, quod ens Logicum, sicut suum esse ita & distinguere habet solum per rationem: ac proinde nullum accidens Logicum est separabile à parte rei à suo subjecto: alias eo ipso haberet propriam essentiam & existentiam, essetque accedens physicum, quomodo ergo per nos ablato termino non manebunt constitutiva intrinseca relationis? & quomodo positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, nemine cogitante tunc perit.

Respondetur. Duplicia sunt entia Logica, quedam quorum & esse & distinguere, pender à ratione, & qualia admittit obijciens: alia autem sunt entia Logica, quorum quidem est esse nemine cogitante, distinguere tamen non est nemine cogitante: & ita rationalitas respectivè accepta, risibilitas item, sunt accidentia, danturque nemine cogitante, & tamen per eos qui non tenent distinctionem ex natura rei, non sunt distincta nemine cogitante. Dantur idem gradus metaphysici superiores & inferiores, indubiè enim nemine cogitante pluribus convenit vivere quam sentire, & tamen gradus superiores & inferiores non distinguuntur nemine cogitante. Ita etiam datur positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, idque nemine cogitante, quæ tamen non sit distincta nemine cogitante ab entitate fundamenti & entitate rationis fundandi.

De

De ablatione autem entium discurrando, ablatio etiam illorum est duplex: quædam enim auferantur nemine cogitante, ita, ut nemine cogitante definat physica aliqua entitas, & sic auferatur v. g. anima bovis dum separatur ab ejus corpore. Alia autem auferuntur nemine cogitante, hoc est non fictè, hoc est non me cogitante, licet non auferantur nemine cogitante, quasi ablatione alicujus entitatis physice. Et ita v. g. si per impossibile maneret homo non manente Deo, si item per impossibile nemine cogitante non diceret relationem ad Deum, nihilominus ablatio illius relationis, non esset ablatio alicujus entis physici distincti. In sententia item terminos quantitatis explicante per ipsam negationem ulterioris extensionis, posita continuatione partium nemine cogitante periret terminus, & tamen ille non esset quid physicum superadditum. Rursus quando perit unio perit etiam nemine cogitante v. g. in materia denominatio compartis, & quidem nemine cogitante: licet hæc denominatio Compartis non sit quid superadditum & distinctum physice. Denominatio item coexistentis Paulo Petri prout condistincta à conductione Paulo Petri si moriatur Paulus perit nemine cogitante, & tamen illa coexistentia non est quid physice & entitative aut distinctum aut superadditum Paulo & Petro. Ita & in præsentia perit nemine cogitante ablato termino positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi: licet hæc positio, non sit quid physice superadditum, distinctum à fundamento & ratione fundandi. Et certè per ponatur argumentum modalisticum, sic probans distinguere modaliter relationem. Quod nemine cogitante perit, nemine cogitante advenit, illud distinguitur saltem modaliter: sed relatio v. g. paternitatis, voca illam si placet denominationem, perit nemine cogitante & advenit. Ergo paternitas est distincta modaliter hoc argumentum quocunque modo placuerit solvere Objicienti, ostendetur quod aliud sit perire & advenire entium physicorum, & aliud sit perire & advenire entium Logicorum, quæ sunt nemine cogitante hoc sensu quod non sint ficta, sed non sunt nemine cogitante, quasi trahant secum aliquam entitatem physicam, superadditam & distinctam nemine cogitante. Neque in solutione argumenti prædicti modalistici, sufficere recurrere, quod tunc pereat terminus, urgebunt enim Modalistæ, quod præter terminum, fundamentum, & rationem fundandi, detur relatio, quæ perit & advenit nemine cogitante. Erit ergo illa modus.

Et hoc est quod supra diximus quod constitutiva debeant esse proportionata suis constitutis. Hinc si constituta sint physica, etiam constitutiva erunt physica & superaddita. Si autem constituta sint Logica, etiam constitutiva erunt Logica, erunt tamen nemine cogitante, hoc est non ficta, licet non sint nemine cogitante, quasi

physicam super additam entitatem importent.

INSTAT. II. Istud accidens reale Logicum, vel est realiter adequatè identificatum cum sola entitate Patris extra circumstantiam filii vel non: Si primum; Ergo manente Sola entitate Patris, & constitutiva relationis & relatio manebit. Si autem hoc accidens reale Logicum, non est adequatè realiter identificatum cum Sola entitate Patris, existente extra circumstantiam filii. Ergo hoc accidens reale Logicum, non solum identificatur entitati Patris existenti extra circumstantiam filii, sed etiam identificatur alteri, quod certe non erit aliud, nisi ipsa circumstantia filii uti volumus. Nisi fortè dicatur, hoc accidens, nullo modo ne quidem inadæquatè identificari realiter cum entitate Patris, existente extra circumstantiam filii, hoc tamen si dicatur jam istud accidens reale Logicum, erit omnino accidens physicum, habens propriam essentiam & existentiam.

RESPONDETUR. Positionem fundamenti in circumstantia non tantum termini debere esse, sed etiam in circumstantia rationis fundandi, & quidem per prius; cujus tamen non meminit arguens. Sed quicquid sit de hoc. In principiis nostris relatio adequatè identificatur cum sola entitate Patris, existente intra circumstantiam rationis fundandi & termini: sed nego hoc ipso, debere illam identificari illi circumstantiæ; si enim circumstantia est, si aliud est, jam prædicato indeterminationis gaudere non potest. Hinc huic argumento negatur consequentia, quæ ipsissima probari debuit, nempe quod implicet ut aliqua denominatio, sit ipsum illud denominatum, in tali circumstantia positum; in quatenus probanda consequentia, vertitur totius difficultatis cardo. Deinde si discurratur de relatione physice spectata, dico illam esse conflatum ex fundamento, ratione fundandi, & ex aliquo extrinseco seu termino, ipsoque *Ad aliud*: quod si est extrinsecum, si aliud, pars rigorosa non est. Sed debet ne dici quod denominatio relati, seu relatio inadæquatè identificetur fundamento extra circumstantiam rationis fundandi, & termini posito: ad quod antequam respondeatur, quæri potest, an in denominatione coexistentiæ, quam habet Petrus Paulo, ablato Paulo, dicendus sit inadæquatè illi coexistere Petrus. Item sublata unione, remanens materia, amittit denominationem compartis: an tamen debeat dici tunc materia inadæquate comparari: & si has locutiones probavit respondens, poterit dici inadæquatè etiam, identificari relationem soli præcise entitati fundamenti: si autem improbari priores locutiones Objiciens; ex quo fundamento illas improbari, ex eodem fundamento etiam nos dicemus, nec inadæquatè identificari fundamento extra circumstantias posito relatione. Posito tamen quod aliquis diceret nequidem inadæquate identificari relationem fundamento

extra

extra circumstantias posito, non sequetur quod relatio sit jam futura accidens physicum, habent propriam essentiam & existentiam neque id probat obiciens: sed tunc relatio evaderet accidens physicum, si ita non identificaretur fundamento etiam inadæquate ut superadderet novam entitatem physicam, secus autem si non identificaretur eo sensu quod nemine cogitante adveniret hoc est non fide, dum fundamentum ponitur in circumstantia termini.

OBJECIT IV. Explicabile esse, quomodo ad ablationem connitatur extrinseco auferatur mediare totum, non quasi debeat mediare tertia entitas, inter connotatum & inter totum, quæ auferri debeat, sed quia præter connotatum, debet aliquid auferri adæquate distinctum ab ipso, ut auferatur totum: puta ut auferatur ratio creaturæ, debet auferri v.g. homo, distinctus a Deo adæquate verò præter partem v.g. præter animam, nihil ab ea adæquate distinctum auferri debet, ut auferatur totum, nempe homo. Unde etiam Ly *Id ratione cuius ponitur immediate totum* non potest esse genus supremum, in sua categoria, commune parti & connotato.

RESPONDETUR. Videtur hæc circumscripção ipsius Ly *formaliter & immediate* potius ostendere quod in relatione transcendentali terminus sit pars: idque ex eo: quia esse intrinsecum, est commune & toti & parti, hinc quod accedit magis ad intrinsecum, illi competit magis esse vel partem vel totum: quid autem est magis intrinsecum, quam illud, quod si auferatur, hoc ipso debeat tota omnino entitas deperire: & tamen hoc contingit in relatione transcendentali: cuius ablato termino, tota entitas relati perit, magisque revera illud est extrinsecum, quo ablato, non est necesse totum illud quod dicebat relatio perire, ablato autem termino relationis prædicamentalis, remanet aliquid quod dicebat relatio nempe subiectum relationis. Deinde quod ablato termino relationis transcendentalis, necesse sit auferri totum, hoc non ex eo proficiscitur, quia terminus est quid extrinsecum: potius enim quia extrinsecum est, deberet sequi quod non auferatur totum, sed id ex eo evenit quia illa relatio est essentialis, hinc si pereunte termino pereat relatio, peribit aliquid essentialis, nihil autem sine suo essentiali esse potest. Unde si supponeretur relatio paternitatis esse essentialis, ablato filio, necesse etiam esset auferri entitatem Patris. Consequenter non ex eo præcisè anima est pars, quia illa sola ablata jam hoc ipso perit totum. Rursus cum relatio sit ens Logicum vel potius metaphysicum, etiam constitutiva illius, cum sint Logica seu metaphysica, ostendi potest quomodo ablato termino in principiis obicientis, debeat admitti, auferri præterea aliquid, ut tum demum dicatur auferri relatio: ablato enim termino auferatur constitutivum relationis, nempe positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi,

quæ debet intelligi tum auferri, tuncque primum definit esse relatio: ita ut si positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi esset entitas physica superaddita, non posset intelligi ablato termino auferri relatio, nisi supponeretur in super ablata illa entitas superaddita quæ est positio fundamenti in circumstantia termini. Unde ulterius colligi potest, quod possit fieri talis categoria: aliud erit tolli proprium esse physico, & tale tolli competit, dum ablato v.g. Deo perit entitas creaturæ: & aliud tolli competens enti metaphysico, ut scilicet debeat intervenire ablato termino ablato constitutivi metaphysici v.g. positionis fundamenti in circumstantia rationis fundandi: quæ categoria formata, sicut terminus relationis transcendentalis non est pars relationis, ita nec terminus relationis prædicamentalis pars erit.

INSTAT I. Fieri nequit ut propter variationem solius extrinseci aliquid nunc adæquate realiter identificetur alicui, nunc verò non identificetur realiter adæquate eidem: cum identitas rei, sit ipsum esse rei, præscindendo ab omnibus extrinsecis.

RESPONDETUR. Non tantum propter variationem solius extrinseci, non potest evenire ut aliquid nunc adæquate identificetur nunc non identificetur. Sed id evenire non potest etiam propter variationem alicujus intrinseci. Certè enim anima est quid intrinsecum, composito illa tamen ablata, impossibile est ut quod erat identificatum materiæ, evadat postea non identificatum. Hinc extrinsecitas vel intrinsecitas non potest ex eo colligi, quod nunc identificetur realiter nunc non identificetur. Directè verò ad argumentum dici potest: propter variationem quamcunque non posse evenire, ut aliquid adæquate realiter identificetur, hoc est accedendo physice identificetur, & recedendo, physice non identificetur: concedo quæ id esse impossibile: sed nego impossibile id esse, ut propter variationem solius extrinseci, non pereat vel non adveniat denominatio, quæ in re sit ipsum illud, in tali circumstantia positum, implicare quæ æque talem identificationem, deberet ostendi.

INSTAT II. Si non manent omnia intrinseca totius ex defectu intrinseci, ergo præter illud extrinsecum, auferatur etiam aliquid intrinsecum: hoc autem est contra suppositionem, quia nos non negamus ablato aliquo intrinseco auferri totum, sed solum contendimus sic non auferri, ablato solo extrinseco.

RESPONDETUR. Ablato termino relationis prædicamentalis auferri per nos etiam constitutiva intrinseca relationis, unde ante etiam dictum, immerito nobis imponi, quod ponamus manere constitutiva intrinseca relationis, non manente relatione. Restabit tamen totus difficultatis cardo, an ablato extrinseco, debeat hoc ipso in relatione prædicamentali intelligi subsecuta

cata indispensabiliter ablatio etiam constituti-
vorum relationis, quod affirmamus nos, negant
oppositi ex eo inferentes, jam illud extrinsecum
debere esse partem.

INSTAT III. Immerito à nobis supponi quod
sit suppositio impossibilis tollens se ipsam si po-
natur per impossibile v.g. manere cognitionem
objecti per impossibile ablato objecto: certè e-
nim in hac suppositione nō affirmatur & negatur
idem sub eodem conceptu, supponitur enim
manere representatio objecti, & non manere
objectum realiter distinctum à representatione.

RESPONDETUR. Nego quod in hac suppo-
sitione non affirmetur & negetur idem sub eo-
dem conceptu; affirmatur enim Ly objecti in
termino Representatio objecti, & negatur Ly
objecti, cum supponatur illius impossibilitas.
Quod ipsum Ly objecti, quod supponitur im-
possibile, comparatè acceptum ad se inclusum in
Ly Representatio objecti, majorem dicit identi-
tatem, quàm rationale cum homine adæquatè
sumptus, dicat etiam animalitatem, quæ magis
distinguitur à rationali, quàm objectum à se ipso.
Concedo quidem quod objectum & ejus repræ-
sentatio differant etiam realiter, sed nego quod
Ly Objecti inclusum in representatione Objecti,
& Ly Objecti, quod supponitur esse impossibile,
nego inquam distingui hæc realiter cum nec ra-
tione distinguantur magisque identificentur se-
cum quàm definitio & definitum, sed se habent
potius sicut homo ad hominem non ad animal
rationale: quia homo à se homine minus distin-
guitur, quàm ab animali rationali, cum nec per
rationem distinguantur homo & homo. Idem
dic in præsentia.

INSTAT. IV. Imperceptibile videtur ut ali-
quid hodie retonendo suum totum esse (si qui-
dem nihil supponitur amisisse nisi aliquid ex-
trinsecum) non retineat identitatem cum quo
illam heri habuit, id est, non retineat identita-
tem secum.

RESPONDETUR. Immerito supponi quod
ablato termino nihil supponatur aliud amitti,
amittitur enim constitutum intrinsecum rela-
tionis, quod jam repetito dictum: concedo quod
impossibile esse ut aliquid non retineat identi-
tatem cum eo cum quo illam habuit, sed identi-
tatem secundum quod supponitur illam ha-
buisset, adeoque identitatem proportionatam:
& quia identificabatur relatio fundamento in
circumstantia rationis fundandi & termini po-
siti; si fundamentum ita se non habeat, nec re-
latio illi identificabitur: cum identificatio se-
cundum quod competit relationi, adeoque iden-
tificatio proportionata, sit identificatio in cir-
cumstantiis suis posito: ita ut sit impossibile, esse
fundamentum ita circumstantionatum, & non
esse identificatam illi relationem, quæ quia non
identificatur fundamento simpliciter sumpto,
hinc illo manente simpliciter sumpto, non ma-

net relatio: tuncque identificatum maneret non
identificatum, si posito fundamento in suis cir-
cumstantiis non maneret relatio. Sic esse com-
partem identificatur realiter materiæ, & tamen
ablata forma jam non est compars materiæ co-
existentia item Petri cum Paulo identificatur
Petri & tamen ablato Paulo ut dictum supra non
manet coexistentia Petri.

INSTAT V. Esse partem actu seu compartem,
non est idem realiter adæquatè cum materiæ:
quia esse partem actu præter entitatem materiæ,
dicit intrinsecè unionem modalem, ac proinde
materiæ per se ipsam est pars actu, non adæquatè
sed inadæquatè. Exemplum etiam coexistenti-
æ non urget: hæc enim coexistentia, cum sit
relatio prædicamentalis, non identificatur adæ-
quatè materiæ soli coexistentiæ, sed etiam partiali-
ter identificatur existentia Petri, à quo proin-
de partialiter desumitur.

RESPONDETUR. Condistinguenda hæc esse
duo; habere rationem uniti, & habere rationem
compartis: hinc quantumvis ratio uniti non ha-
beat independentem ab unionem, poterit ratio
compartis haberi & non ab unionem: imò & de-
bebit, quia si constitutiva uniti habentur depen-
dentem ab unionem, constitutiva partis non
debent esse eadem, cum diversarum formalita-
tum, debeant esse diversa constitutiva. Et certè
independentem ab unionem, competit prædica-
tum v.g. materiæ, quod sit constitutum intrin-
secum compositi, imò hoc prædicatum præsup-
ponitur ab unionem substantiali, nam nisi esset ma-
teria constitutum intrinsecum, non posset uni-
ri in composito unionem substantiali: quia autem
compars nihil aliud est, nisi præter illud consti-
tutum intrinsecum, esse etiam hoc constitui-
vum intrinsecum, cumque illud præter, sit extrin-
secum, per suam entitatem, in circumstantia
illius extrinseci, habebit rationem partis sibi
identificatam: licet hoc prædicatum illi non
competat nisi in circumstantia illius extrinseci.
Et ne vis fiat in unionem illa, certè binarii homi-
num, est per arguentem compars unus homo, i-
dentificaturque hoc illi, & tamen ablato extrin-
seci, hoc est alio homine, non est jam compars:
neque tamen identificatur ratio partis iden-
tificationem, quæ sit per accessum alicujus entitatis,
sed identificationem, quod sit denominatio, quæ
in re est ipsum illud, in tali circumstantia po-
situm. Illud quod dicitur de coexistentia non
tenet: quia quantumvis detur arguenti, quod
coexistentia secundum quod relatio est, consti-
tuatur alia existentia tanquam parte, certè ta-
men hujus existentia alia existentia non est pars
& tamen coexistentia nihil aliud est, nisi hæc exi-
stentia, & hæc existentia, consequenter coexi-
stentia identificatur, hoc est, denominatio, quæ
est ipsum illud existens, in circumstantia alterius
existentis.

Objicit

OBJECIT V. Viharum responsionum sequi, quod possit dari identificatio accidentalis, et tamen quid est magis essentiale rei, quam esse id, quod est; cum in hac propositione identica, subiectum à prædicato ne quidem ratione nostra distingvatur.

RESPONDETUR. Non posse esse identitatem accidentalem hoc sensu, quasi aliquid accessu suæ entitatis identificetur, recessu non identificetur: id enim implicat; sed potest esse identificatio accidentalis; hoc sensu, quod possit dari denominatio, quæ sit illud ipsum in tali circumstantia: & quia illa denominatio identificatur huic in tali circumstantia posito, si poneretur non identificata tunc, cum ponitur illud in tali circumstantia, verè identificatio illa esset accidentalis: quod quia in principiis nostris non evenit, hinc nec ponimus hoc sensu identificationem accidentalem.

NOTO. Contra obijcientem bonam esse hanc instantiam. Si per impossibile auferretur Deus, & per impossibile maneret homo, immediate desineret in illo relatio creaturæ; quantumvis relationem creaturæ non compleat DEUS per modum partis. Quod enim dicit obijciens, relationem transcendentelem creaturæ ad Deum esse primo essentialem rei absolutæ puta homini, id à nobis negatur, sed quantumvis etiam concederetur nihilominus supponere *Si per impossibile maneret homo & non referretur ad Deum relatione creaturæ*, non foret adhuc suppositio impossibilis tollens se ipsam, Quia tunc ablato primo essentiali conceptu alicujus, ponere illud mer ipsum, esset suppositio impossibilis tollens se ipsam, quando illud mer ipsum secundum quod supponitur esse, definiretur sub illa formalitate per illum primo essentiali conceptum, qui supponitur auferri: nam verè tunc sub qua formalitate affirmaretur, sub eadem negaretur, Jam autem homo, qui supponitur in hac suppositione impossibili, manere in ratione hominis, non definitur per relationem creaturæ ad DEUM. Er certe in particulari loquendo, tunc est suppositio impossibilis tollens se ipsam, quando idem eodem modo sumptum affirmatur & negitur v. g. si definitum de se ipso definito affirmetur & negetur, Ut si dicas si per impossibile esset homo, & non esset homo. Item si de definito negetur definitio tota, vel si definito negetur pars definitionis verè enim idem affirmaretur & idem negaretur: quia autem homo & creatura, nec sunt sicut definitum & definitum idem, revera enim duplex est hoc definitum. Item cum homo sub formalitate hominis, non sit definibilis per creaturam totaliter vel accipiendo pro parte definitionis creaturam, cum homo pro partibus definitionis dicat animal & rationale: Ideo hoc supponere, quod maneat homo per im-

possibile, sine relatione creaturæ ad DEUM, non est supponere suppositione impossibili tollente se ipsam. Illud etiam quod addit, ablato per impossibile solo DEO, & manente homine, non mansuram rationem creaturæ, solum arguitivè & mediatè; quia scilicet tunc tolleretur aliquid realiter adæquatè distinctum non quidem ab homine, benè tamen à Deo, nempe definitio objectiva creaturæ hoc unquā quod dicit non convincit. Nego enim arguitivè & mediatè auferendam tunc relationem creaturæ, nec constat quid sit & quid significet ablato DEO, auferri definitionem objectivam creaturæ; & quamvis hoc explicetur, adhuc ostendetur non arguitivè & mediatè tunc auferendam relationem creaturæ; Nam cum relatio creaturæ non sit in DEO, sed in homine, non in DEO sed in homine ostendendum esset, quod auferatur aliquid præter ablationem termini hoc est DEI: si autem non ostendetur in dicta suppositione auferri aliquam entitatem, cum auferatur relatio, verè non per hoc ablato termino relationis transcendentalis, vere inquam non per hoc eximitur à conditione partis, quod mediatè tunc auferatur relatio: verè enim nulla alia entitate præter entitatem termini sublata, auferitur, cum tamen mediatè auferri per hoc explicetur, quia præter terminum, auferitur alia entitas.

QVÆSTIO II. De Divisione Relationis.

DIVIDITUR I. Relatio in Realem & Rationis; Realis est ejus fundamentum, subiectum, ratio fundandi, Terminus datur à parte rei nemine cogitante. Relatio rationis, est relatio, quæ verè non est in re, apprehenditur tamen esse, ut cum apprehendimus animalis rationem, respicere inferiora, cum animal istud superius, non sit, nemine cogitante.

Circa hanc divisionem in particulari quæri posset: an relatio prioris & posterioris sit realis; an rationis.

ASSERO I. Nulla ex his relationibus est de se prædicamentalis. Ratio: quia relatio prædicamentalis exigit extrema realia Physica existentia, potest autem esse relatio prioris & posterioris, quin sibi coexistent licet sibi coexistere possint; ut Pater cum filio convivens.

ASSERO II. Potest quis theri non esse hic relationem sed meram denominationem. Ratio quia non est relatio prædicamentalis, casu ut dixi quo non existat terminus; nec transcendentalis; quia potest poni subiectum hujus relationis